




Old No.  
D  
K





GROBIANVS, ET  
Grobiana, De

MORVM

SIMPLICITATE, LIBRI TRES,  
In gratiam omnium Rusticitatis a-  
mantium conscripti, Per  
FRIDERICVM DEDEKINDVM.

*Iam denuò ab Autore emendati, & plerisq;  
in locis cum præceptis tum exem-  
plis aucti.*

IRON EPISCOPTES STV-  
diosæ Iuuenuti ciuilitatem optat.

*Ethica concedant ueterum morosa Sophorum,  
Cedat Aristoteles, cumq; Platone Cato.  
Concedat Cicero Latius, concedat Erasmus,  
Et quotquot morum de grauitate docent.  
Hic liber exactam dat morum simplicitatem,  
Eiq; noua nuper prodijt ille schola.  
Hunc, studiosè puer, uigili perdisce labore,  
Qui cupis ornatus moribus esse bonis.*

FRANC. Apud Hæred. Chr. Egen.

BVRCHARDVS MI-  
thobius D. Studioso Le-  
ctori S.

**S**implicitas ueterum ioculari carmine morum  
Reddita in Aonios estq; redacta modos.  
Et liber hic uitæ præceptis fertilis, ecce  
Vernat ut Hyblæis Dædala terra rosis.  
Pone supercilium facilis, durumq; rigorem,  
Carmina quisquis ad hæc pauca legenda uenis.  
Non semper tristi ducit sua tempora uultu  
Prudens, sed curas temperat ipse iocis.  
Nec pluuia semper stillant, sed solibus æther  
Aestuat interdum, lucidaq; astra micant.  
Dulcia sic miscent austero sacchara Baccho,  
Vlla uetus faciunt suauius esse merum.  
Quid rigida duros imitaris fronte Catones?  
Nec tibi quæ non sunt scripta seuera placent.  
Istæq; contemnis ceu friuola, resq; uidetur  
Vtilis his adeò nulla subesse iocis.  
Falleris, & quæ sunt nondû tibi cognita, damnas,  
Iudiciûq; fuit regula curua tui.  
Nam rigidis maior quò gratia legibus esset,  
Tecta sub his ludis seria multa legas.  
Perlege, perlectus precium liber ipse re pendet,  
Et disces mores per ioca læta bonos.

Fruere, & uale.

# ELENCHVS PRAECE

ptorum, quæ in his libris de Simplicitate mo-  
rum traduntur.

## CAPITA PRIMI LIBRI:

- Cap. 1. Quæ modestia seruanda manè in uestitu,  
capillis, facie, & dentibus mundandis. 8
- Cap. 2. De ientaculo sumendo, & compositione  
totius uultus & corporis. 10
- Cap. 3. De ministerio mensæ. 14
- Cap. 4. De moribus in mensa ante cibum. 16
- Cap. 5. De moribus in edendo. 19
- Cap. 6. De morib. à prædio, et in deambulationib.  
Cap. 7. De adornatione mensæ ante cœnam, (23  
& alijs ministerijs. 26
- Cap. 8. De ministerio mensæ in cœna. 28
- Cap. 9. Quomodo à cœna conuiuæ tractandi. 32
- Cap. 10. De conuiuarum à cœna confabulatio-  
nibus, altercationibus, & rixis. 35
- Cap. 11. De conuiuarum dimissione, & quid  
agendum antequam cubitum eas. 37

## CAPITA SECVNDI LIBRI.

- Cap. 1. Quomodo ab alio inuitatus se ad cœnam  
præparet. 40
- Cap. 2. De moribus in edendo. 44
- Cap. 3. De morib. in mensa post primū missum. 46
- Cap. 4. Alia præcepta de modestia edendi &  
bibendi 49
- Cap. 5. De uoracitate, risu, uomitu in mensa, &

## INDEX.

- alijs ciuilitatibus. 52
- Cap. 6. De lotionē manuum à coena, mensis secundis, & quid apud uirgines deceat. 54
- Cap. 7. De clamoribus à coena, digressu, & pactione trastinae coenae. 57
- Cap. 8. Quomodo se à coena ebrius in uia, domi, ante somnum, & postridie gerat. 60
- Cap. 9. Quomodo tuos conuiuas excipias, trastes, & deniq; dimittas. 62

### CAPITA TERTII LIBRI.

- Cap. 1. De moribus in honesto conuiuio, edendis offis, & cancris. 65
- Cap. 2. De pоторum lautitijs, & moribus in discessu. 68
- Cap. 3. De scommatis, crepitu, screatu, responsione ad interrogata, inspectione alienarum literarum. 70
- Cap. 4. Quomodo te in alienis aedibus geras. De uersicoloribus & dissectis uestib. ornatu barbae, usu chartarum & librorum, excipiendis amicis, deq; alijs ciuilitatibus. 72
- Cap. 5. Exempla ciuilitatum in mensa. 76
- Cap. 6. Exempla de euacuatione uesicae, uomitu, & alijs morum elegantijs. 81
- Cap. 7. Exempla de crepitu, ructu, retentione urinae, & alijs rusticitatibus. 87
- Cap. 8. GROBIANA. De moribus puellarum. 89
- AD



AD ORNA  
TISSIMUM VIRVM,  
DN. SIMONEM BINGIVM, HAS-  
SIACUM Secretarium, Friderici De-  
dekindi præfatio.



PTO tibi quantam uirtute  
merere salutem,

O mihi non multos inter  
amate Simon.

Paucaloquartecū: quæ mul-  
ta negotia tractas,

Te mihi dicturo multa,  
u acare uetant.

Quæ modò nostra libris cantârat Musa duobus  
Carmina, de uitæ simplicitate rudis.

Illa sub incudem tibi iam reuocata refinxit  
Pieris, et triplici protulit aucta libro.

Iamq; iterum totum (faueat fortuna) per orbem  
Auspicio Bingi mittimus illa tuo.

Ergo quid intendam nugis iuuenilibus, audi,  
Consilij ut ratio sit tibi nota mei.

Carpimus inde cores ioculari carmine mores,  
Et uetus antiquæ simplicitatis opus.

Si meus hic hominum fuerit liber utilis ulli,  
Corrigat ut mores doctior inde suos.

A 3

## PRAEFATIO

Utq; uelit tandem uitæ damnare prioris,  
 Rustica quæ solitus facta patrare fuit.  
 Nil moror ulterius, metam obtinuisse uidebor,  
 Quæ fuerat cursu metâ petita meo.  
 Vix tamen euentus a deo sperare secundos,  
 Cum mala sint nimium tempora nostra, licet:  
 Sperantem terrent magnorum exempla uirorū,  
 Qui celebres magno sunt in honore uiri.  
 Quid memorem multa clarum uirtute Platonem?  
 Quosq; uehit celebri Græcia laude sophos?  
 Nonne hominū frustra temârunt flectere mores?  
 Et placida mentes arte domare feras?  
 Scriptores nihilo plus profecere Latini,  
 Cura quibus populos magna docere fuit.  
 Tullius officium Romano tradidit orbi,  
 Quod deceat iuuenes, quod deceatq; senes.  
 Quid tamen est scriptis a deo præstantibus actū?  
 Quis minus est hominū quam fuit amè ferox?  
 Utile formandis puerorum moribus, istis  
 Temporibus scripsit Roterodamus opus.  
 Quæ tamen utilitas hoc digna labore secuta est?  
 Consilium uitæ quis melioris imit?  
 Exiguum certè numerum, qui talia curet,  
 Cernimus: in uitium cætera turba ruit.  
 Nil ego nunc delicta queror uulgaria uitæ,  
 Quæ ueniunt quauis multa uidenda die.  
 Quæ quia momeni uix sunt alicuius, honestis.  
 Illa, nec aduersor, dissimulare licet.

At

At uideas multos (hominum modò respice mores)  
 Qui superent omnem rusticitate modum.  
 Siue famem contra saeuam data fercula sumant,  
 Siue rigent potò guttura sicca mero.  
 Nec se respiciunt, & quonam fine creati  
 Sint homines, ullo non meminere modo.  
 Nil iuuat aetherea traxisse ab origine memem,  
 Et ratio turpi uicta furore iacet.  
 Barbarico uiuunt crudarum more ferarum,  
 Quoq; uocat uenuris caeca libido ruum.  
 Immodicè præter quàm corporis exigit usus,  
 Distendant uarijs uiscera laxa cibis.  
 Poculaq; in bibulum confundunt plurima uentrè,  
 Tum quoq; cum potos non sitis ulla premit.  
 Nec satis est adeò petulam ex rebus abuti,  
 Cunctaq; per lautam mittere parta gulam.  
 Quin etiam iactant sua crimina turpiter, atq;  
 Ob sua laudari facta pudenda uolum.  
 Hoc uitium longæ iam consuetudinis usus  
 Comprobat, & magnum non sinit esse scelus.  
 Scilicet hoc homines pacto præcepta sequumur,  
 Quæ ratio uitæ quæ sit honesta, docent.  
 Cur tamen & morum feritas manet omnis in illis?  
 Tot monitis adeò proficiturq; nihil?  
 Lenibus admoneas aliquem de crimine uerbis,  
 Et placidè, melius uiuat ut ille, roges:  
 Ceu facias ludos ridebit suauiter, & te  
 Delusum frustra dicere multa sinet.

## PRAEFATIO

Si facinus uerbis aliquod grauioribus ausis

Carpere, quod fieri non decuisse uides:

Incurres odium, rigidusq; uocabere censor,

Nullaq; erit merito gratia parta tuo.

Atq; ita iam nemo sequitur meliora docentem,

Ingenioq; libet uiuere cuiq; suo.

Sic homines uanum docti sumpsere laborem,

Nilq; tot egregijs obtinuerunt libris.

Non tamen exemplis ego iam deterreor illis,

Quemq; scopum multi non tetigere, pecto.

Postq; tot insignes arte ingenioq; Magistros,

Qui deceant mores quenq; docere paro.

Forsitan illud agens temerarius esse uidebor,

Pectore fallaces spesq; fouere meo.

Sed sperare libet, meliori si dere fors an

Quam reliquis, coeptum iam mihi surgat opus.

Non simili uultu loeuples hera respicit omnes,

Quod negat huic, illi saepius illa dedit.

Quis scit an huic merces respondeat ulla labori?

Et ualeam uoti compos abire mei?

Fortunam experiar, quid enim tentare nocebit?

Fors aderit coeptis aequus Apollo meis.

Vt nihil obtineam, facilis iactura laboris

Illius, hoc carmen quo mihi constat, erit.

Sed quia praecipis rigidis nihil haecenus actum est,

Quae fieri semper nisi honesta iubent:

Tramite diuerso metam contingere eandem

Experiar, tritas nec sequar amenas.

Cunstaq;

Cuncta quæ iam fieri passim sine more iubebo,  
 Turpia quæ factu, qui sapit, esse uidet.  
 Ante suos oculos agrestia quisq; uidebit,  
 Ingenuos mores quæ malè, facta, decent.  
 Forsitan illa uidens, uitam emendare priorem,  
 Barbariemq; animi ponere quisq; uolet.  
 Vix queat hoc alia uitium ratione leuari,  
 Sensibilis cuius desijt esse dolor.  
 Altius in nostris radices moribus egit,  
 Quàm facili tolli rursus ut arte queat.  
 Non tamen auxilium modò desperabimus omne.  
 Vna etiam dandæ cum uia restet opis,  
 Nil prohibere iuuat: forsitan iussisse iuuabit,  
 In uetitum semper turba parata sumus.  
 Desperata salus aliquando est causa salutis,  
 Quodq; minus credas posse iuuare, iuuat.  
 Nonne uides, dubio medicus succurrere morbo,  
 Cum nequit, et superat, pharmaca sana, malū:  
 Ut uarias animum solertem uertat in artes,  
 Aegrotum, docta curet ut ille manu.  
 Pharmaca nunc nimios lenit per amica dolores,  
 Vulnera nunc acri puluere sparsa ligat.  
 Sæpe ferus membrum secat immedicabile ferro,  
 Sæpius ad motis ignibus urit idem.  
 Accidit & morbo superante Machaonis artem,  
 Ut medici nullã sentiat eger opem.  
 Ille quidem calidas medicamina habentia uires,  
 Miscet, & egrotum sumere multa iubet.

## PRAEFATIO

Nil tamen hac usquam, tenet licet omnia, cura  
Obtinet, & docta pius ualet arte malum.  
Ergo suam uertens mox in contraria mentem,  
Antidoto morbum frigus habente petit:  
Et misero quam non licuit sperare salutem,  
Hac demum felix arte sine arte tulit.  
Sic ego cum uideam praecepta salubria morum  
Nil agere, & monitus commoda nulla sequi:  
Quae fuerant facienda ueto, fugiendaq; mando,  
Ut doceam gestus foeda per acta bonos.  
Forsitan haec aliquis iocularia scripta reuoluens,  
His speculum uitae cernet inesse suae:  
Et tacita culpa, nulloq; monente rubescet,  
Et fugiet posthac turpe quod esse uidet.  
Qui tamen in speculo te contempleris isto,  
Verbaq; multa tuis moribus apta leges.  
Ne mihi, neue meo precor indignere libello,  
Iusta nec est irae causa futura tuae.  
Nō mihi propositū fuit hic perstringere quenquā,  
Degeneres mores carpere seruator erat.  
Sin fuerit qui se prae multis esse notatum  
Credet, & indignè uerba iocosa feret.  
Nouerit hac ipsa sese ratione mereri,  
Iam reus ut possit rusticitatis agi.  
Hoc metuens, ~~irae moderare calenis~~ habenas,  
Quisquis ad haec unquā scripta legenda uenis.  
Forsitan & tetricos offendam ista Catones,  
Carmina de morum quae feritate damus.

Meq;

Meq; librumq; meum censura grauabit iniqua,  
 Et scelus hoc scripto grande patrasse ferar.  
 Nam uereor certè nonnullos esse futuros,  
 Qui studium damnent consiliumq; meum.  
 Meq; putèt hominum sanctos corrūpere mores,  
 Nec facienda ullo facta docere modo.  
 Et fatcor, possum mala facta docere, uideri,  
 Sponteq; currenti subdere calcar equo.  
 Qui tamen & nostri naturam inspexerit aui,  
 Iudicium, reor, est uix habiturus idem.  
 Et nihil hac cernet metuendum parte pericli,  
 Nec mea cum damno carmina posse legi.  
 Nam nihil est, quisquā quod nostris morib. addat,  
 Rusticitas summum iam tenet an è locum.  
 Omnia quæ possunt scribi, pleriq; magistro  
 Turpia iam, nullo facta docente tenent,  
 Et faciunt ultrò, laudemq; in crimine quærunt,  
 Et quibus ipsorum uita probetur, habent.  
 Nil equidem scripsi, factum quim an è notārim, et  
 Nascitur è gestis hoc mihi rebus opus.  
 Quæ tenuere prius quàm scriberet ullus, an illa  
 Versibus è nostris discere uelle putas?  
 An fieri quenquam peiorem posse putabis,  
 Ingenio qui non ad mala promptus erat?  
 Ergo mihi certum est, nihil hac me parte mereri,  
 Cur reus inductæ rusticitatis agar.  
 Si prorsum nulli (multis prodesse uolebam)  
 Non labor hic ulli noster obesse potest.

## P R A E F A T I O

Et mea propositi mens est sibi conscia recti.  
 Nilq; rudis uulgi scommata salsa timet.  
 His redeo dictis ad te clarissime Bingi,  
 Tu mihi pro multis unus amicus eris.  
 Tu mea quo solitus iuuenilia respice uultus  
 Carmina, et auctori, quod facis, usq; faue.  
 Suscipe tutelam promptus libriq; meiq;  
 Subq; tuo hoc tutum nomine carmen eat.  
 Dirā uenenatā contra conuitia linguae,  
 Ludicra praesidio protege nostra tuo.  
 Quid moror? hunc totū, quantum sit cunq; libellū  
 Accipe, subq; tua nunc agat ille manu.  
 Si monitus ullos tibi praeteriisse uidebor,  
 (Non ego me paucos praeteriisse puto)  
 Ipse tuo arbitrio supple: ius carminis huius  
 Omne, sed o tantū suscipe, solus habe.  
 Si qua uidebuntur nostro superesse labori.  
 Arbitrio sapiens omnia deme tuo.  
 Deniq; ceu censor capite in quocunq; repones,  
 Qui facient nostro facta notata libro.  
 Atq; ita nos, regno cum sis dignissimus illo,  
 Tradimus haec manibus sceptrā tenenda tuis,  
 Subiicimusq; tuis moderandos legibus omnes,  
 Quotquot opus ueteris simplicitatis amant.  
 Ecce tuum imperium terris dominatur et undis.  
 Regnaq; sunt regno cuncta minorā tuo.  
 Quod mihi tā magno reddis pro munere munus?  
 Sim tuus, id magni muneris instar erit.

Meq;



DEDEKINDI.

7

Meq; tuere tuum, cœptoq; fauore merentem  
Prosequere, & rebus fautor adesto meis.  
En ego si (quod agis) me delectaris amico,  
Pro tibi tam prompto pectore, gratus ero.  
Atq; aliud, faueant felicia numina tantum,  
Aggrediar quondam te duce maius opus.  
Interea, quoniam longo es dignissimus æuo,  
Multa, sed ô felix, secula uiue. Vale.

Datum Vitebergæ, xx. Martij, Anno  
Domini M. D. LII.

DE

DE ANTI-  
QVA MORVM SIM-  
PLICITATE, LIBER PRIMVS,  
Autore Friderico De-  
dekindo.



I tibi simplicitas priscorum  
antiqua uirorum,  
Et rudis, & nulli noxia  
uita placet:

Quam placuisse ferunt nos-  
tris maioribus olim,

Quæ segetum cultrix rustica turba fuit.

Huc ades, & nostrum studio non deside carmen

Perlege, fors aliquid quod iuuet inde feres:

Perlege, quoq; modo deceat componere uitam,

Et mores, isto carmine certus eris.

Ne dubita, simplex euades protinus, ullum

Si monitus nostros pondus habere sines.

Non equidem laudo cuiunq; placere uolentes,

Atq; alijs uitæ facta probare suæ.

Dura tibi nimium fuerit prouincia, cunctis

Ad placitum mores composuisse tuos.

Laudo qui possunt aliorum spernere dese

iudicium, & fortes hos reor esse uiros.

Quiq;

LIBER PRIMVS. 1

Quiq; bono nunquam se submisere magistro,  
Qui se, quæ faciunt, cuncta decere putant.  
Tu mihi proffer ades ueterum non inscie morum  
Syluane, ô pinu cincte uireme caput.  
Quò bene, simplicitas quæ sit laudanda, canamus,  
Pectora sunt nutu nostra regenda tuo.  
Dicite moniuagi, syluestria numina, Fauni,  
Dicite quæ rudibus uita sit apta uiris.  
Dic Lenæe pater, bibulæ notissime turbæ,  
Pocula quo deceat sumere plena modo.  
Come cibus auidè quondam præfecte uorandis,  
Si tua constitui sacra docere, faue.  
Almaq; Rusticitas nostro Dea maxima seculo,  
Huc ades, & uatem dirige prompta tuum.  
Non facilis labor est, mores formare decoros,  
Sæpe grauis magnis res fuit illa uiris.  
Auxilio superùm tamen has & numine fretus,  
Trificiles magno pectore inibo uias.  
O etiam morum censor iustissime Bingi,  
Es bonus: auspicio scribimus ista tuo.  
Carmena te uultu mea respiciente benigno  
Vberior Musæ uena futura meæ est.

CAPVT I.

Quæ modestia seruanda sit manè in ue-  
stitu, capillis, facie & dentibus mun-  
dandis.

Quisquis

DE MORVM SIMPLIC.

**Q**uisquis habes odio rigidi præcepta ma-  
gistri,

Qui nisi de morum nil grauitate docet:

Huc propera, & placidis utentem uocibus audi:

Non tonat hic aliquis tristia uerba Cato.

Da mihi te docilem crasso sermone loquenti,

Nec dubita paruo tempore doctus eris.

Discipulus facili superare labore Magistrum

Crede mihi, antiqua simplicitate potes.

Et licet hæc aliquis rigida de gente sophorum

Vituperet, morum quæ documenta damus:

Non tamen illa tibi quicquam nocuisse uidebis,

Sedula si Musæ iussa sequere meæ.

Fulcra soporiferi cum liqueris alta cubilis,

(Quod fieri medium non decet ante diem)

Egregie ciuilis eris, si nulla parentes

Manè salutandi sit tibi cura tuos.

Non homini cuiquam felicia fata preceris,

Sæpe tibi grates dicere ne sit opus.

Prospera quantumuis optes, quid proderit illis?

Optima non damnum est perdere uerba leues

Gens sine manè suos Hebræa salutet amicos,

Quam tenet implicitam multa superstitio.

Cur tibi tam leuium sit cura superflua rerum?

Caniciem iustos cura dat ante dies.

Non habet exiguas quoq; pandiculatio uires,

Si medicos par est credere uera loqui.

Accidit

LIBER PRIMVS.

Accidit ex longo neruos torpere sopore,  
Atq; male officij munus obire sui.  
Excitat hos certo tibi pandiculatio motu,  
Vtere: nec mores dedecet illa tuos.  
Nec reliquis surgens te uestibus indue, nuda  
Indusium satis est imposuisse cuti.  
Sed reliquas geminis uestes complectitor ulnis,  
Aspera si duro frigore sæuit hyems:  
Scilicet in calido iucundius est hypocausto  
Induere, à sæuo ne uiolere gelu.  
Nec moueat, uirgo uel foemina si sit ibidem,  
Tu tamen utaris moribus usq; tuis.  
Siq; tuis quisquam factis offenditur, illum  
Cernere si talem nolit, abire iube.  
Quisq; tibi cedat, nec tu concesseris ulli,  
Conditione tua es liber, & esse uelis.  
Tandem ubi uestitus fueris, pendere solutus  
In genibus caligas (res decet illa) sines.  
Nanq; ita uirginibus tacita ratione placebis,  
Teq; sibi optabit quæq; puella uirum.  
Causaq; tam iusti manifesta uidetur amoris,  
Sed non est isto commemoranda loco.  
Non sat eris simplex, si uestimenta ligare  
Cœperis, & uentri uincula dura nocent.  
Ne nimis euadas moratus, pectere crines  
Neglige, neglecta est forma decora uiro.  
Foemineæ crines ornare relinquito turba:  
Comantur iuuenes quos leuis urit amor.

B

DE MORVM SIMPLIC.

- Credemibi Dominum te nulla puella uocabit,  
Si te composito uiderit esse pilo.  
Sint procul à nobis iuuenes ut foemina compti,  
Scribit Amazonio Cressa puella uiro.  
Eximio tibi erit decori, si pluma capillis  
Mixta crit, & laudem prouidus inde feres.  
Scilicet hoc homines poteris conuincere signo,  
Non in stramineo te cubuisse toro.
- 6 Sint capitis crines longi, nec forpice tonsi,  
Caesaries humeros tangat ut alta tuos.  
Tutus ut à tristi rigida sis frigore brumæ,  
Vertice prolixus crinis alendus erit.  
Cuncti homines quondã longos habuere capillos,  
Quos modò Virgineus curat habere chorus.  
Regna pater quando Saturnus prisca tenebat,  
Tunc fuit in longis gloria magna comis.  
Simplicitas ueterum laudatur ubiq; uirorum  
Quà potes, hos semper sit tibi cura sequi.
- 7 Dedecus esse puta faciemue manusue lauare,  
Commodius crasso sordet utrunq; luto.  
Qui uolet his uesci, per me licet, ipse lauabit,  
Dicito: res curæ non erit illa mihi.
- 8 Forsan erit dentes qui te mundare monebit,  
Sed monitis parens inueniæ caue.  
Recta ualetudo corrumpi dicitur oris,  
Sæpe noua si quis proluat illud aqua.  
Quid noceat, dentes quòd sunt fuligine flauit:  
Iste color rubei cernitur esse croci,

Iste color fuluo quoq; non culpatur in auro,  
 Auro quod nunquam non amat omnis homo.  
 Dentibus ergo tuis cur sit color ille pudendus?  
 Si sapias, hanc à te fac procul ire fidem.

## CAPVT II.

De ientaculo, & modestia oculorum,  
 frontis, narium, item de garrulitate,  
 sternutatione, obscenitate,  
 tussi, ructu, & de incessu, & habitu  
 in plateis.

**P**oscere quod comedas, ubi uix dum lumina  
 somnus

Liquerit, in primis commeminisse uelis.

Tota conde uola quamprimum acceperis escam,

Ne cadat è manibus non bene pressa tuis.

Tum poteris quadris uti cum prandia sumes,

Iam satis est nuda continuisse manu.

Multaq; per digitos pinguedo diffluet omnes,

Quos uolo te lingua lambere saepe tua.

Prandia quo gestu, qua sint ratione uoranda,

Non ita post longo tempore certus eris.

Sed mihi nonnullis de rebus es antè monendus,

Concio non nimium longa futura me est.

Quo deceat totum pacto componere uultum,

Et corpus, paucis antè docendus eris.

Id caueas primum, ne fortè modestia mores

In bene uiuendo temperet ulla tuos.

B

DE MORVM SIMPLIC.

- Quis iuuenes nimium possit laudare modestos  
Qui sapit, ignauos mox stupidosq; uocat.  
4 Non hominem rectis oculis aspexeris ullum,  
Verte aliò uultus lumen utrunq; tui.  
Si rectè aspicias, nimis esse uideberis audax.  
Tam iuuenem grauitas non satis illa decet.  
Omnia que spectas, distorto lumine spectes:  
Omniaq; auersa fronte loquere uiris.  
5 Esse uerecundis oculis sine laudis amantes,  
Et qui uirtuti conuenienter agunt:  
Quò tibi cunq; libet tu lumen utrunq; uagari  
Permitte, id multum simplicitatis habet.  
6 Nec malè conueniet frons ut sit torua minaxq;  
Et faciem rugæ mille decenter arant,  
Qualis aratori facies solet esse iuuenco,  
Verbera qui lanio percutiente tulit.  
Vel fera qui contra riualem bella parauit,  
Et furit, & feruens non capit ira modum:  
Talis erit iuueni generoso uultus habendus,  
Qui laudem quòd sit fortis habere uolet.  
Scilicet ex uultu uirtutes pectore clausas  
Colligere exiguo quisq; labore potest.  
7 Nullaq; morosus nisi uerba austerà loqueris,  
Quando tibi quisquam conueniendus erit.  
Comibus ad quosuis fueris si uocibus usus,  
Et leuis & petulans esse ferèris homo.  
8 Inpotes hanc de te spargi contemnere famam,  
(Nil tamen, ut uera laude ueharis, agas)

Solue



Solue loquax semper multis sermonibus ora,  
Ore tibi muto turpe sedere puta.

Sunt soliti quidam suspendere naribus aurum,  
Vel gemmas, quales India diues habet. 9

Has tibi diuitias fortuna inimica negauit?  
Non ideo fracto pectore tristis eris.

Accipe consilium non uana monentis amici,  
Certus es, ex animo me bene uelle tibi.

Qualiter à tectis dependens tempore brumæ  
Condecorat totam stiria longa domum:

Sic pituita fluens geminis à naribus ornat  
Qui iuuenes cultum simplicitatis amant.

Illa tibi gratis tanta ornamenta parantur,  
Quæ puto non paruum sunt paritura decus.

Cuncta tibi rerum bona conulit ipsa creatrix  
Natura, ut uitæ prospicit illa tuæ.

Sed modus est rebus seruandus in omnibus, ergo 10  
Hanc tibi mensuram qua modereris habe.

Mucor ubi patulo stillans influxerit ori,  
Tunc emungendi tempus adesse scias.

Id cubito facies, & te ciuilior alter  
Non erit: hanc laudem solus habere potes.

Siue tibi hunc uestis præstet seu pileus usum,  
Non fueris parua simplicitate rudis.

Totam implere manum, sacraeq; illidere terræ,  
Ut sonitum tota reddat in æde, decet.

Et iaceat: quid enim cures? pede proterat ille,  
Phlegma tuum qui se posse uidere negat.

DE MORVM SIMPLIC.

Vidi etiam speculum multos de more gerentes,

(Appensum manicae funibus illud erat)

Si placet exemplum capias studiosus ab illis,

Pituita speculi sed subeunte uicem.

10 Edere nare graues sonitus, & ducere ronchos,

Moribus aduersum non rear esse bonis.

Indicium est animi fortis, spiratio fortis,

Et facit ad famam nominis illa tui.

11 Sternutare uolens uicino obuertito uultum,

Quò potius uertas uix rear esse locum.

Mos habet ut quidam bene sternutantibus optent,

Id tibi qui faciat forsitan amicus erit.

Quò sciat ergo suum te sternutasse sodalem,

Illius ad faciem sit tua uersa uelim.

Tu tamen in simili causa bona nulla precèris,

Vel tua si grauiter sternutet ipsa parens.

12 Esse pudens caueas, ulla uè rubescere culpa,

Criminis admissi quos piget, illud agant.

Turpia quantumuis dicantur uerba, notare

Indignum statuas esse rubore genas.

Te quoq; uerba loqui nonnunquam absœna decebit,

De decus hæc puero non didicisse foret.

Nominibus proprijs res quasq; uocare disertè,

Nec lex nec diuùm religio ulla uetat.

Turpia quæ uulgo stulta ratione uidentur,

Inspice, naturæ sunt moderantis opus.

Non ego consueto seductus more loquendi,

Naturam contra, bella mouere uelim.

Tempore

Tempore uesicam iusto releuamus & aluum,  
 Idq; hominum nemo iudicat esse malum.  
 Verba reformidant tantum, proprijsq; uocari  
 Nominibus rigidi talia facta uetant.  
 Quod genus hoc hominū? quæ tãta insania mentis?  
 Sit pudor in uerbis, resq; pudore uacem?  
 Si noua quis narrat, quæ non audiueris amè,  
 Nec tibi dicendum quod uideatur habes:  
 Tum uelut incautas labijs comprehendere muscas  
 Mordicus instituas, ora patêre fines.  
 Si qua uidebimur sublato digna cachinno,  
 Ne leuiter risu concutiare uide,  
 Verum ita, ut in tota ridentem audire platea  
 Te possit, per eam si quis habebit iter.  
 Vsq; tibi patulas os diducatur ad aures,  
 Hinc tibi ridenti gratia maior erit.  
 Siq; uidebuntur scabri rubigine dentes,  
 Hoc poteris Domine gratior esse tuæ.  
 Dissilio risu: geminare subinde memento,  
 Non dubium id signum simplicitatis erit.  
 Sæpius & nulla causa existente, cachinnum  
 Tollere, non modicum laudis habere puta.  
 Forsan erunt qui se derisos esse putabunt,  
 Et tua non æquo pectore facta ferent.  
 Sic animis uanos irarum accenderis æstus,  
 Atq; tuo pulchrè munere functus eris.  
 Quid noceat multis furiosam impellere bilem?  
 Materiam risus res dabit illa noui.

DE MORVM SIMPLIC.

- 14 Si qua uoles falsa mendacia dicere lingua,  
( Vera ego te iubeo non ita sepe loqui )  
Post duo uerba semel uel bis tussire iuuabit,  
Quid dubitas? multum commoditatis habet:  
Forsitan in pröptu non sunt quæ uerba loquaris,  
Non malè, dum tussis, hæc reperire potes.  
Nec te uerba loqui conficta intelliget ullus,  
Scilicet, est falsum posse uidere labor.
- 15 Quando opus est uerè tussire, hanc noueris artè,  
Vicini faciem uerte sub ora tuam.  
Hauriat ille tuæ spiracula dira tracheæ,  
Illa refrigerium, si calet, esse queunt.  
Si tua reppereris quenquam malè facta ferentem,  
Nil moueat: uana est uiribus ira carens.
- 16 Imò et magnificis tua facta tuebere uerbis,  
Nil poteris pro te dicere? uictus eris.  
Argue quòd uano tumeat præcordia fastu,  
Tam facilem nequeat qui tolerare iocum.  
Quid faceret si non massa constaret eadem,  
Qua sumus humanum condita turba genus?  
Scilicet impurum si reddi crederet, & te  
Conficeret certa dura per arma nece.
- 16 Quando uenit ructus, cur hunc retinere labores?  
Quin potius liber possit ut ire iuuas?  
Dissimulare studes, & suppressis ire uolentem,  
Quid facis? ah clara uoce iuuandus erat.  
Nec facili teneas, quando uolet ire, labore:  
Et tibi, si teneas, damna timenda feret.

Platus

Flatus enim stomacho si concludatur operto,

Carcere quò nequeat liber abire suo:

Letiferos diro corruptus carcere morbos,

Et mala quæ numero sint caritura, dabit.

Incaput ascendet, totumq; in corpus abibit,

(Heu nimio precio stet pudor ille tibi)

Nescio quid redolens hinc fiet anhelitus oris,

Forsitan & toto corpore putris eris.

Inde per infidam crepitus proruperit anum,

Nec fuerit sonitu proditus ille suo:

Naribus heu tetro fiet manifestus odore,

Nec poteris crimen dissimulare tuum.

Maxima ut hæc igitur prudens incōmoda uites,

Ne tibi sit ructum uelle tenere labor.

Est amor in stratas urbis prodire plateas?

17

Purgatum capitis tegmen habere caue.

Qui nimios ambit, muliebria munera, cultus,

Ridendus meritò cuilibet ille uenit.

Nec licet à multo sit calceus undiq; cœno

18

Oblitus, ut purges sit tibi cura, uelim.

Quid purgasse iuuet, cùm sit tibi rursus eundum

Stercora per? uanus non foret ille labor?

Et toga longa pedes tibi demittatur ad imos,

19

Hoc erit antiquæ simplicitatis opus.

Et tua sic uerret post te uestigia, ne quis

Quò sis progressus, cernere possit iter.

Latus & extrema limbus tibi uestis in ora

Collecto plateæ stercore firmus erit.

B 5

DE MORVM SIMPLIC.

Viderit hoc aliquis spacio distans remotus,  
Te bene prætextam credet habere togam.  
Panniculos mittunt Bombycum munera Seres  
Hinc procul in Scythica munera nata plaga:  
His credere tuas solitus prætexere uestes,  
Infima si lato plena sit ora luto,

20 Sim minus ista iuuant, (quoniam noua tempora mo  
Insolitos secum ferre subinde solent) (res

21 Veste breui induitor, quæ uix tegat undiq; lumbos,  
Quæ tibi detectas non uetet esse nates.

Hoc gaudent cultu qui Martia castra sequuntur,  
Quiq; modò nomen nobilitatis habent.

Et tibi ut aut miles, uel nobilis esse puteris,  
Cura sit ut semper ueste tegare breui.

22 In quacunq; modum re conseruare decorum est,  
illa sed hoc saltem regula falsa loco est.

Neglectus iuuenem cultus decet, inquit Erasmus,  
Quis dubitet tantum dicere uera uirum?

Huic igitur credens uestitum negligere, nec te  
Qui cultus deceant respice, quiue minus.

23 Brachiū utrūq; simul post terga reflectere discas,  
Seu stes, seu uicos fortè per urbis eas.

Sed mea sedulitas, ne sit prolixior æquo,  
Quod superest uerbis significabo tuis.

Hoc uolo te totam studio componere uitam,  
Sic uolo te mores instituisse tuos,

Vt qui te uideat, non falsò dicere possit,  
Hic uerè simplex est & agrestis homo.

CAPVT

Mensa quomodo adornanda & remo-  
uenda, & de mensæ ministerio.

**E**cce puer mensam iam pridē strauit, et ecce  
Fercula sunt auidæ lauta parata Gula.  
Latus es: esuriens patinis adhibebere plenis,  
Hæc reprimunt seuam pharmaca sana famē.  
Te tamen antè tuo Domino seruire necesse est:  
Post, quod edas rapido protinus ore, feres.  
(Nec tamen officium famulandi promptus obibis,  
Ni semel atq; iterum iusserit illud Aerus)  
Iamq; quibus deceat te moribus esse docebo,  
Tu modò ne dubita moriger esse mihi.  
Quid quereris nimium subtilia iussa uideri,  
Quæ damus? & puido suffugis illa metu?  
Rustica Musa mea est, præceptaq; rustica tradit:  
Discere quæ facili cuncta labore potes.  
Quæ semel es monitus, semper facienda memento,  
Perq; tibi cunctos esse tenenda dies.  
Siue tuo solus domino, seu pluribus adsis,  
Siue domi sumas prandia, siue foris.  
Est eadem ratio multis seruire, uel uni,  
Et tibi mos idem semper habendus erit.  
Cum seruire uoles prandemibus, exue uestem,  
Officium impediatur ne toga laxa tuum.  
Sufficit ut caligis indutus edemibus asles  
Promptus, & ut Thorax pectora nuda tegat.

DE MORVM SIMPLIC.

Atq; ita quàm gracili sis corpore quisq; uidebit:  
Laus ea nequaquam reiicienda tibi est.

2 Quasq; geris uestes minimè decet esse ligatas,  
(Versibus id paulò doctus es antè meis)

Quas natura tegi partes mandauit, ad illas  
Demittas geminas absq; pudore manus.

Sic ego matronis, castisq; placere puellis,  
Ingenuisq; putem te bene posse uiris.

3 Non placuere mihi pede qui nituntur utroq;  
Et sua sollicitè crura locare solent.

Tu pede nunc dextro, modò læuo insiste uicissim,  
Idq; fac, ut nunquam stes in utroq; simul.

Sic dum niteris hoc, requies conceditur illi:

„ Alterna requie quæ caruere labant.

4 Semper et instabili gressu titubare memento,  
Mobilitas iuuenes irrequieta decet.

„ Pigra quies scabiem morbosq; utentibus adfert,

„ Vtiliter moto corpore, sanus eris.

Scilicet et fabri titubant, cum follibus auras  
Accipiunt: nec res dedecet illa fabros.

Cur igitur tibi non quoq; sit res illa decora?

„ Semper enim pulchrum, quod decet, esse solet.

„ Disce, quod ex usu sit, ab omnibus, atq; sequendū

„ Pone bonum uultus quemlibet ante tuos.

5 Utq; manu nunquam non gesticuleris utraq;  
Effice: res magna est non tenuisse manus.

„ Ocia mortales culpare ignaua solemus,

„ Ocia laudando sunt fugienda uiro.

Non



Nonnihil ergò manu fac semper utraq; labores,  
Desidia turpem ne mereare notam.

Dextra ministerium subeat manus: altera braccas  
Decidere à nudo femine posse, uetet.

Si nihil est aliud, digito te scalpe sub aurem,  
Aut manibus sparsam digere utrisq; comam.

Vel capitis tegmen digitis assuesce rotare,  
Vel gestus habeas qui tibi cunq; placent.

Aut etiam doctus potes esse poëta uideri,  
Incipiens unguis rodere dente tuos.

Id faciunt grauium meditantes pondera rerum,  
Quiq; canunt Clario carmina digna Choro.

Vel tua ceu toruus disposito brachia miles, 6  
Ut lateris costas tangat utrinq; manus.

Credo equidem pugnax reputaberis esse, uidenti  
Brachia te tali disposuisse modo.

Nil nisi sis iussus facias, nihil utile tractes, 7  
Facto quantumuis esse putabis opus.

Præmia, si quid ages iniussus, nulla sequentur,  
Gratiaq; officij parua futura tui est.

At si quis fuerit, quem non satis esse putabis 8  
Compositum, hunc oculis aspice sæpe tuis.

Quicquid aget, solers attenda mente notato,  
Quoq; eat, & quostet, quo sedeatq; modo.

Obseruaq; epulas quo gestu & pocula sumat,  
Qua ratione suas collocet ille manus.

Siq; tibi illius mores et uita uidentur  
Vel modicum risum uel meruisse iocum:

Sufficiens

## DE MORVM SIMPLIC.

Sufficiens causa est: ingentem tolle cabinum,  
Teq; nihil risum dissimulare uelim.  
Imò et in illius iacias dicteria mores:  
Forsan crit sapiens qui modò stultus erat.  
Quoq; hominum fuerit numerosior illa corona,  
Hòc lepidos mordax tu magis ede iocos.  
Scilicet hòc sapiens magis esse uideberis illo,  
Quò magis mordaci quoslibet ore petes.  
Fercula fortassis mensa noua ferre iuberis,  
Semper ibi hac uti prouidus arte potes:  
Esuriens disco meliorem præripe partem,  
Illa tibi summo iure tenenda uenit.  
Scorte a non alios tibi pera feratur ad usus,  
Quàm bona si libeat tollere frustra tibi.  
Ergo etiam si quis te uiderit illud agentem,  
Propterea nimium commouere caue.  
Quin potius uerbo si te obiurgauerit uno,  
In promptu facinus quo tue aris habe.  
An scelus esse putas reliquis comedentibus, inque,  
Tempore me tanto non bene ferre famem?  
Hoc ubi factus eris, nihil amplius ille loquetur,  
Verbaq; continuo per tua uictus erit.  
Post ubi lauta uolens imponere fercula mensa,  
Cura sit, ut placidè non nimis illud agas.  
Tam placidè pones, ut ius cum carne resultet,  
Panis et infuso iure natare queat.  
Cum satis ederunt, debentq; superflua tolli,  
Vnicuique consilij summa erit illa mei.

Subtrahes

Subtrahere te dominis, ut & hunc vitare laborem

Possis, ne vires quo superentur, agas.

Reliquias dominus de mensa colligat ipse,

Apposuisse dapes dic satis esse tibi.

Et satis expectasse diu, stomachumq; latrare,

Hunc modo placandi tempus adesse cibus.

Si famulum uerbis reuocauerit ille seueris,

Incipe, sed lento, uelle redire, gradu.

Quae nimia est, magno multos properatio damno c c

Ledit, & in paruis sunt bona multa moris. c c

Cumq; redis, nullo quae restant ordine tolle, 12

Ad bene tollendas quid facit ordo dapes?

Stulta superstitio est homini uitanda modesto, c c

Cur, ubi reliquias colligis, illa placet?

Multa leuato simul, ne saepe recurrere fesso, 13

Ordine tollemi pauca, necesse fuit.

Ire per ambages, cum sint compendia praesto, c c

Stultitiae summum duxeris esse gradum. c c

Sic quoq; reliquias paulatim tollere, ineptum est,

Cum pariter liceat cuncta leuare tibi.

Tum quoq; (ne dubites) erit excusabilis error,

Si fuerint digitis omnia lapsa tuis.

Pondere eras etenim vires superante grauatus,

Brachiaq; impositum lassae grauabat onus.

Robore uix qui te multum superabat & a uinis

Sustineat manibus pondera tanta suis.

Siq; leuare iubet te nemo, leuare cauet,

Aspicioq; oculis quae cecidere tuis.

Et ridere

DE MORVM SIMPLIC.

Et ridere potes quasi res benè gesta fuisset,  
Idq; tibi uitio uertere nemo potest.  
Sin fueris iussus, tum lapsa recollige tristis:  
Et quasi pœniteas signa, dolentis habe.  
Tollere cuncta simul si non potes, accipe partem,  
Cetera per terram sparsa iacere sine.  
Non equidem spero fore de prandentibus unum,  
Deficendum facinus qui putet esse tuum.  
Imò cum risu tibi digna encomia laudum,  
Quæ nimia es meritis simplicitate, canent.

CAPVT IIII.

Qui mores in mensa seruandi, ante  
apposita cibaria. (ter

**C**Lara ciet uacuis iam dudū murmura uen-  
Tāq; monet longam se malè ferre morā.

Eia age iam tandem te post ieiunia mensæ

Sumendisq; cibis, qua potes arte, para.

Vincula si uentrem constringunt ulla, relaxa,

Liber ut arbitrio diffuset ille suo.

Ne tamen omnino nihil esse puteris honestus,

Vincula non libeat soluere cuncta simul.

Pauca potes, si sunt constricta, relinquere lora,

Quæ post commodius soluere tempus erit.

Antè lauare manus quàm suauia prandia sumas,

Credideris nunquam muneris esse tui.

Quàm facile est gelida manus ut sit purior unda

Quælibet impuras terra refundit aquas.

Terra

Terra quod emisit si mundum credere fas est,

Tu quoq; iam toto corpore mundus eris. 3

Nec diguis longos præcidere conuenit ungues,

Vnguibus in longis gratia magna latet.

Vnguibus Accipiter longis quoq; corripit escas,

Principibus tamen haud displicet ille uiris.

Si tamen est animus præcidere, id inter edendum,

Ocia cùm fueris paucula nactus, ages.

Si quis honoratus debet discumbere tecum, 4

Vt sedeas primo sit tibi cura loco.

Surgere si quisquam sella te iusserit illa,

Surgere tu magnum crimen habere puta.

Nec dubites ingens tibi dedecus esse, supremo

Si pulsus, sedeas inferiore, loco.

Cur alij cedas quo non sit dignus honorem?

Cur tibi despecto non habeatur honos?

An dubium est unum cunctos habuisse parentem? ce

An non æquè omnes puluis & umbra sumus? cc

Primus Adam duro cùm uerteret arua ligone,

Pensaq; de uili duceret Eua colo:

Ecquis in hoc poterat uir nobilis orbe uideri?

Et modò quisquam alios ante locandus erit?

Serius ad mensam si quando accedis, & illic 5

Pransuro sedes iam tibi nulla uacat,

Stare diu minimè tibi conuenit: utile membris

Hoc erit, ut sumas prandia læta sedens.

Pelle loco socium, qui quòd sit uiribus impar,

Nil tibi pro rapta sede nocere potest. G

## DE MORVM SIMPLIC.

Cedere si nolet, nolentem detrahe collo:

Cedere maiori præcipit ipse Cato.

6 Forsan adhuc panis cultello besternus adheret,

Aut magis est alio sordidus ille situ:

Huic uitio poterit succurrere calceus, illum

Exue, si cotis destitueris ope.

Vertitoq; exutum, uersoq; illidito cultrum,

Inde tibi splendens, inde et acutus erit.

Si te quis fuerit sic admiratus agentem,

Respondere potes, moris id esse tui.

7 Tardius optatas apponi uideris escas,

Et fieri longam te esuriente moram:

(Forsitan officium neglexit lixa coquendi,

Vel malus inceptum fraude moratur opus)

„ Ira animum subeat, furor est iustissimus iræ,

„ Quæ grauius causas cur moueatur, habet.

Posce dapes pleni magnis clamoribus oris,

Quam potes intenso gutture posce dapes.

Voceq; cessantes uerbisq; minacibus urge,

„ Sæpe subest paruis maxima poena moris.

8 Forsan et instructæ qui dulcia fercula mensæ

Inferat, à lixa dante, minister abest:

Tu potius longum ieiuno uentre sedebis,

Fercula quam reliquis uilior ipse feras.

Nemo tibi facinus tantum persuadeat Autor,

Ne uel Romulæ Tullius urbis honos.

Stultus id exiguum tibi dedecus esse putares,

Seruitium facili uile subisse manus

Interea

Interea uarias tere tempora longa per artes,  
 Ocia sunt pigris insidiosa uiris.  
 Si mala te scabies dulci prurigne uexat,  
 Qua liceat causam, fallere tempus, habes.  
 Scalpe frequens digitis (nihil est iucundius illo)  
 Ulcera, quæ multa putrida tabe fluunt.  
 Aut uelut exciso quondam sub monte Metallum  
 Queritur in uenis terra benigna tuis:  
 Sic scabiem immisso uariè rimabere cultro  
 Doctus, & occultos ingrediere poros.  
 Inde nec absterfo cultro data prandia sumes,  
 Nec digitos gelidæ flumine lotus aquæ.  
 Vermiculi teneram sæui infestare iuuentam  
 (Experto dubitas credere?) sæpe solens.  
 Bis tribus ingressi pedibus nituntur, & inde  
 Conueniens multo de pede nomen habent.  
 Hos quoque si sentis de partum rodere corpus,  
 Non tibi protractas ire querere moras.  
 Auulsos capitis modò crinibus abstrahæ, & illos  
 Strenuus impresso fortiter ungue doma.  
 Eque sinu uiuos, miles fortissimus, hostes  
 Profer, & in mensa corpora capta loca.  
 Delicias illic faciant tibi mille, uident  
 Qua moueant celeres conditione pedes.  
 Omnia desuerint, tamen haud tibi desore quadras  
 Crediderim, his longæ tædia pelle moræ.  
 Inspice, si non sunt omnes uelut esse uolebas,  
 Emendaturas protinus adde manus.

DE MORVM SIMPLIC.

- Sæpius artifici turpis committitur error,  
Quando celer propero multa labore parat.  
Impiger educto tu singula corrige cultro,  
Quæ poteram oculis esse molesta tuis.  
Corrige, et incisus orbes insignibus orna,  
Ingratumq; tuo non erit illud hero.
- 12 Impositam mensæ crebris te pungere mappam  
Ictibus, haud quenquam qui uetet esse uelim.  
Linea uulneribus mensæ uelamina multis  
Confice, res usu non caret illa suo.  
Tale malum dominus fieri sibi sæpe timebit,  
Materiam tarda cui dedit ipse mora.  
Temperiusq; dari cupido sua fercula uentri  
Præcipiet, proprio cautus eritq; malo.
- 13 Aeneus in mediæ quoq; ponitur æquore mensæ  
Circulus, impositas sustinet ille dapes.  
Ictibus huic raptum crebris illidito cultrum,  
Utilitas duplex inde uenire potest.  
Afficies teneras claris timuitibus aures:  
Audire hos multi se quoq; posse uelint.  
Inde Coquum de te dominumq; monebis, et illos  
Esse diu immemores non patiêre tui.
- 14 Culter Heri in mensa positus, patris uic iacebit,  
Alterius uic, tibi qui bene notus erit:  
Arripe et in saxi aciem ferroq; retunde,  
Ne nimis et iusto promptius ille secet.  
Inde tuo existat dominoe patriæ periculum,  
Vulnera ne nimium dura secando ferant.
- Deniq;



Deniq; si uentrem miser exonerare fuisti  
 Inmemor, & iam te sarcina tanta grauat:  
 Et metuis caligas modò ne descendat in ipsas,  
 Atq; nouo totam turbet odore domum:  
 Surge citus mensa, causamq; rogantibus inque,  
 Ventris eo seuum depositurus onus.  
 Inde redi, illotis mensæq; accumbito palmis,  
 Ne noceat longas neectere uelle moras.  
 Forsitan accubitum dum propter balnea differs,  
 Diripiat positos cætera turba cibos.

## CAPVT V.

De moribus inter edendum obseruan  
 dis.

**S**orbilis in primis ieiuno apponitur esca,  
 Ventriculo melius quòd queat illa coqui.  
 Et tibi adhuc cupido cochlearia concava desunt,  
 Nec facile appposito est abstinuisse cibo?  
 Quid dubitas patinam roseis apponere labris,  
 Inmissisq; datas ebibere ore dapes?  
 Ipsa parens rerum, quæ uita humana requirit,  
 Cuncta tibi larga contulit ecce manu.  
 Diogenes etiam cochleare abiicit, & hausit  
 Ex liquido palmis pocula fonte suis.  
 Hunc manuum demens Cynicus nõ nouerat usum,  
 Doctus ab infanti ni foret ipse senex.  
 Fercula cum fuerint mensa quæcunq; locata,  
 Sit tua ut in patina dextera prima, uide.

DE MORVM SIMPLIC.

Et tibi quod placitum fuerit citus arripe frustum,  
Ne tibi praeceptum protinus alter edat.

Si sapiſ, hunc morem ſemper retinere mememo  
Vtile id eſt uentri conueniensq; tuo.

Inuidus obliquis id uiderit ullus ocellis,  
Dicit, quiſq; ſolet proximus eſſe ſibi.

3 Forsan & in diſci procul à te parte remota,  
Tollere quam cupias, portio lauta iacet:

Et tibi nullus a deſt hominum qui porrigat illam,  
Arripe protenſa protinus ipſe manu.

Quid reſert etenim quòd non in parte propinqua  
Te coram, ut poſitum debuit eſſe, fuit?

Nefcio quid ciuile ſapit conuertere lancem  
In gyrum, ut ueniant fercula lauta tibi:

Id facimus tali poteſ excuſare colore,

Promptus ad urbanos ut uideare iocos:

Taliter ut reſer as circum coeleſtia uolui

Sidera, nec ſtabilem ſemper habere locum,

Inde quid efficiant propria uirtute planeta,

Id ſine uicinum commemorare tuum.

Ille tuo pugnum ridens impegerit ori:

Motus ab aetheria uenerit ille polo.

4 Quod tibi de lautis dapibus proponet amicus,

Arripe quò citius fiat utraque manu.

Quodq; dedit retine totum, totumq; uorato,

Si ſapor eſt gratus faucibus ille tuis.

Nil tibi profuerit uicino reddere partem,

De tibi propoſitis, ſi placuere, cibus.

Quiſq;

Quicq; tibi dederat, non debes dicere grates,  
 Sit licet eximio dignus honore coli.  
 Ipse mihi poteram quæ uellem sumere, dicess:  
 Nil opus officio crede fuisse tuo.  
 Hæc semel atq; iterum responsa dedisse iuuabit,  
 Et modò quid profint hæc tibi, certus eris.  
 Nempe tibi nemo post factum porriget illud  
 Frustra ex appositis ulla uoranda cibus.  
 Ipse igitur posthac, & quæ tibi cunq; placebunt,  
 Arbitrio poteris sumere frustra tuo.  
 Omnia per patinam conuertas, omnia tentes:  
 Nec nisi quæ placeant sunt comedenda tibi.  
 Pectora sæpe grauis mortalia detinet error,  
 Et quæuis oculos fallere causa potest.  
 Sæpius aspectu quod pulchrè apparet opimum,  
 Lautum, si gustes, experiere parum.  
 Cuncta igitur lingua cautus gustuq; probato,  
 Quæ placuere oculis fercula uisa tuis.  
 Si sapor est gratus, nec displicet ille palato,  
 Non opus esse tibi me monitore putem.  
 Sim expectatum deprendis abesse saporem,  
 Quid facias, nostro carmine doctus eris.  
 In patinam rursus si uis iactare, licebit:  
 Cur etenim stomacho quod malè quadret edas?  
 Ve retinens, quacunque libet tibi parte, uorato:  
 Hoc equidem nullam posse uetare reor.  
 Compressam digitis arrodere dentibus escam,  
 Et decet, & secum commoda multa uehit.

DE MORVM SIMPLIC.

Parcis enim tenero (magna ô sapientia) cultro,

Ossibus illis ne ferat ille malum,

Quod superest patinae uisum est tibi reddere? lau-

Mox alius forsân, qui petat illud, erit. (do:

99 Inuidia est hominum naturæ insculpta malorum,

99 Quod superest, alij cedere nolle bonum.

Quod tibi displicuit rapiet cupidissimus alter,

Et uelut accepto munere, gratus erit.

Vtq; tibi uacuum praesentibus expleat aluum,

Ore tibi rapido quod superabat, edet.

7 Commodius tamen & ciuilius esse putarem,

Vicino ambesam proposuisse dapem.

Accipiet letus, gratesq; tibi insuper addet,

Te quod adhuc memorem sentiat esse sui.

Argumentum ingens non ficti erit illud amoris,

(Secula quem rarò nostra uidere solent)

Quod dederis carnes iam de quibus ederis ipse

Vicino, & cum te non roget ille, tuo.

Vix equidem credo frustum quod tale parenti

Det canis, esuriam quamlibet illa ferat.

8 Elixam Cererem, Bacchiue liquentia Promum

Vina uides parca suppeditare manu?

Pocula post tergum prudens tibi plena repones,

Nec, quis ut inuito te bibat inde, fines.

Cum bibis ex illis, reliquis sitiemibus, inque,

Solicitum pro se quemlibet esse decet.

Vos quoq; iam potum circumspexisse decebat,

Guttura si curæ sicca rigare fuit,

Cum

Cum bene de primo repleris uiscera misso,  
 Et iam quæ placeat uenerit esca tibi:  
 Si qua ligata tenent uentrem modò uincula solue,  
 Ad præsens fias quò magis aptus opus.  
 Nil pudeat: si quid credes tamen esse pudendum,  
 Id poteris tali dissimulare ioco.  
 Cum tibi uicino te permutare sodalè  
 Finge dolo, uestis uincula uelle tuæ.  
 Et pete ut antè tibi sua præbeat ille uidenda,  
 Dic tua te dempta promere uelle mora:  
 Hæc erit in promptu soluendi occasio lori.  
 Quod pudor antè tibi soluere magnus erat.  
 Iamq; tuis si quid corrosæ carnis inhaeret  
 Dentibus, inserta demere repenè manu.  
 Cum caro fallacis Crocodili in faucibus hæsit,  
 Exiguus facili subuenit ales ope.  
 Ora etenim uolucrum rostris elingua pandit  
 Bellua, mox escam qui petat ales adest.  
 Ille seræ dentes impune pererrat hiantis,  
 Frustraq; de patula fauce relicta legit.  
 Hac opus arte tibi nihil est, natura benignè  
 Prospiciens, digitos ipsa manusq; dedit.  
 Os digitis scrutare tuis, aut utere cultro,  
 Immunda officium cur tibi præstet auis?  
 Quodq; reuulsi de dentibus, inspice quid sit,  
 Et ne quid pereat protinus illud ede.  
 Aut aliud non purgato prius accipe cultro  
 E patina frustum quod tibi cunq; placet.

DE MORVM SIMPLIC.

- Idq; tuo ridens transfixum appone sodali,  
Terq; ut edat blanda uoce quaterq; roga.  
Extractasq; tuo sordes ubi sumpserit ori,  
Materia risum sufficiente dabis.  
Hoc etiam reliquis urbanus habebere pacto,  
Natus e Attæis esse ferere iocis.  
Nescio cur aliqui soleant abstergere cultrum,  
Cum de communi scindere pane uolunt.  
Insipiens adipem mappæ cur illinis albæ?  
Cur quod habet solidæ nil rationis agis?  
Vtilius poteras communi abstergere pane,  
Pinguior, e lingue gratior ille foret.  
Forsan e hæc alijs res non ingrata fuisset,  
Si modò de pingui pane libenter edunt.  
Hoc etiam (quamuis non nil uideatur agreste)  
Conueniens uentri fors queat esse tuo.  
Quando dapes lautas in prandia miserit hospes,  
Quas speres auidæ posse placere gulæ:  
Exime de patulo mucorem nare fluentem,  
Exemptumq; caua conglomerato manu.  
Idq; uel in mediam coram omnibus iniice lancem  
Callidus, aut gestus iniicientis habe.  
Sic reliquos dapius citus absterrebis opimis,  
Quodq; erat appositum solus habere potes.  
Fecit idem quondam uir famigeratus ubique,  
Nomina cui speculo noctua iuncta dedit.  
Hunc homines cuncti laudant, miramur, honorant,  
Atque uiri mores posse referre student.

Illius

Illius quoque tu quantum potes, indue uitam,  
Et poteris gestis clarus abire tuis.

Quem tibi prescribam sumendi prandia finem, 19

Quis modus huic operi debeat esse, rogass.

Desine cum nimis uenter distenditur esca,

Cumq; cibi rumpi præ grauitate times.

Hic mihi præterea fueras non pauca monendus,

Prandia sumentis que facienda forent.

Sed uetat hora breuis fugitiui temporis, ergo

Plura canam quando coena parata tibi est.

## CAPVT VI.

Mores à prandio, & in deambulationibus obseruandi.

**I**am bene uisceribus per splendida fercula præ-  
De rebus nullis anxius esse uelis. (flis. 1

Hei malè uentericulus curis affligitur æger, 2

Pæus ut ingestos concoquat ille cibos.

Inde feri rifestant mortalia corpora morbi,

O fugito solers omne laboris onus.

Et tua per scamnum composito membra sopori, 2

Quo modò sunt scamno prandia sumpta tibi.

Sic iaceas donec coenandi uenerit hora,

Tum tibi de somno surgere tempus erit.

Dumq; iaces poteris crepitus impunè frequentes 3

Edere, nec qui te carpere possit, erit.

In manibus cum non habeas, potuisse teneri,

(Verba tibi si quis dixerit ulla) nega.

DE MORVM SIMPLIC.

- 4 Si libet ingrato non indulgere sopori,  
Nec tua delectat corpora pigra quies:  
Surge gradu lento per uicos urbis iturus,  
Res bene repleto conuenit illa uiro.  
Esaq; paulatim uentrem descendit in imum,  
ad medici membris esse salubre docent.
- 5 Illotis manibus uenisti ad prandia primum:  
Illotis manibus rursus abire potes.  
Nonne sinas potius sumptas tibi suauiter escas,  
Quàm digitos fatui fontis olere lacum?
- 6 Nec, licet immundo sit calceus undiq; cœno  
Oblitus, ut purges sit tibi cura uelim.  
Quid purgasse iuuat, cum sit tibi rursus eundem  
Perq; luto plenas stercoribusq; uias?  
Sumpseris incassum uanos purgando labores,  
Vanaq; propositi cura sit illa tui.
- 7 In media quando iam cœperis ire platea,  
Et fuerit sumpti nausea facta cibi:  
Deiçe per uomitum ueniri quodcūq; molestū est,  
Sit licet in medio nausea facta foro.  
Plurima nec moueat quod turba stet undiq; circū,  
Tu tamen abijcias quod tibi cunq; graue est.  
Fecit id Antonius multis spectantibus olim,  
Is tamen Ausonia consul in urbe fuit.  
Roma sed ò nostras quantum supereminet urbes?  
O quantò es magno tu minor Antonio?  
Quod facinus tanta uir tantus in urbe patrauit,  
Non tibi in his poterit dedecus esse locis.

Si



Si nihil ista mouent magnorum exempla uirorū,

Quæ moueat propria cura salutis erit.

Corporibus medici rectè auxilientur ut aegris.

Ad uomitum cauti sæpius illa uocant.

Mense unum quouis uomitum pluresq; requirunt,

Præseruatiuum pharmanon illud habent.

Quid sentis? quot eris rectè ualiturus in annos,

Si uel quottidie bisue semelue uomas?

Quando tibi grauis est spaciandi urina, repente

Vesicam in medijs exonerato uijs.

Fœmina casta licet uideat, uel honesta puella,

Non tamen inceptum destituatur opus.

Magna pudoris erit, sed maior habenda salutis

Cura, bonum fragile est corporis ipsa salus.

Exiguo perdunt, quod uix reparabitur ullo

Tempore, qui curam non habuere sui.

Si qua tuos humeros uestis tibi contigit, illam

Neglige, res cura non eget illa tua.

Quin etiam ne se toga cruribus implicet, atq;

Impediat gressus, detineatue tuos?

Disijcienda utrinq; manu est, à parte uideri

Corpus ut excellens anteriore queat.

Quæq; tegenda toga fuerant, thorace tegantur

Et caligis, illud quis neget esse satis?

Talia delectant castas spectacula matres,

Virgineoq; solent illa placere choro.

Scilicet aspiciant quàm sis bene iunceus, & quàm

Constringant uentrem uincula firma tuum.

Proximus

DE MORVM SIMPLIC.

Protinus ergo tui captæ accendentur amore,

Fœmineus quauis arte mouetur amor.

10 Inq; uia si quis tibi dixerit ore salutem,

Siue tibi notus, siue alienus erit:

Non ego responsum facili te reddere uoce,

Si mea iussa putas pondus habere, uelim.

Ora salutantis prius inspice, & excute solers,

Qua tibi sit blandum mente locutus, Aue.

Et nisi sit dignus responsio uisus, abito,

Et tacitum gratæ claudito uocis iter.

Ipse prior nullos etiam saluere iubebis,

Taurinumq; oculis usq; tuere tuis.

11 Nanque uagi de te minuetur opinio uulgi,

Si te conspicient cuilibet ore loqui.

Atq; tibi stultæ crimen leuitatis inurent,

Cum fueris nuper creditus esse grauis,

Inde tuo certè nimium decedet honori,

Et tua maiestas damna dolenda feret.

12 Si tamen ulla domus steterit pro limine uirgo,

Præ reliquis cuius forma placere queat:

Lumina mox in eam cum blando conijce risu,

Nil refert quòd non est bene nota tibi.

Inde ad eas recta (pudor omnis inutilis hic est)

Curaq; sit blando molliter ore loqui.

Omnia quæ risum moueant narranda putato,

Nil tibi inurbanum, nil tibi turpe fuit.

Turpe nihil rerum genitrix natura creauit,

Ipse sibi quædam turpia fingit homo.

Tetrico

Tetrica si semper Stoicorum dogmata narres,  
 Ridiculus dominæ non potes esse tuæ.  
 Sperne seuerorum decreta austeram Catonum,  
 Zenonis rigidi dura statuta fuge.  
 Blanda Cynædorum magis est tibi cōgrua secta,  
 Et Cynici molles quæ docuere, tene.  
 Cū bene colloquij fuerit finita uoluptas,  
 Iamq; paras cœpta rursus abire uia:  
 Tum tua Virgineo circunda brachia collo:  
 Osculaq; amplexus inter amica rape.  
 Si negat amplexum, atq; oscula blanda petenti,  
 Coge uel inuitam reddere utrunq; tibi.  
 Si fugiet sequitor, prensamq; amplectitor illam,  
 Dissimulet quamuis, uicta libenter erit.  
 Et loquitor blandum, dominamq; subinde uocato,  
 Ne tuus erga illam dissimuletur amor.  
 Turba tuos coram uideant lususq; iocosq;  
 Ut quàm sis possint cernere bellus homo.  
 Hunc quoq; seruabis morem, quæcunq; puella  
 Obuia per mediam sit tibi facta uiam.  
 Inde tuam minui grauitatem credere stultum est,  
 Nec tibi qui uitio uertat id ullus erit.  
 Obuia sed uirgo si te prior ipsa salutet,  
 Ut referas grates non reor esse tuum.  
 Esse putato malam quæcunq; uidebit amicæ,  
 Quæq; tibi blando non negat ore loqui.  
 Vita tibi quanquam simplex et rustica cordi est,  
 Eiq; tua laudem simplicitate petis:

DE MORVM SIMPLIC.

Sint tamen elato tua pectora turgida fastu,  
Luminaq; excelsis tolle supercilio.

Qui nimis abiecto est animo fractoq; uidetur  
Ingenij dotes non bene nosse sui.

Mox & in exiguo contemptus habetur honore,  
Qui poterat summum clarus habere locum.

Quamuis quisq; sibi est, alijs quoq; tantus habetur:

Sub pedibus, qui se non leuat ipse, iacet.

Cede igitur nulli, sperne omnes, respice nullum,  
Cunctaq; duc animis inferiora tuis.

14 Si tibi quis magnis occurreret honoribus ductus,

Quem celebret toto cognita fama polo:

Siue regat iustis subiectam legibus urbem,

Et bonus imperij non leue gestet onus:

Siue rudem doceat diuina oracula plebem,

Lucidaq; ad coeli sidera monstret iter:

Seu uitam prudens alioqui degat honestam,

Et sit uirtutis nomine clarus homo:

Ne subeat flauos animo nudare capillos,

Inq; tuis maneat fixa Tiara comis.

Nos sumus ex limo facti telluris eodem,

Materia est cunctis una eademq; uiris.

Diuitibus uitæ non est prolixior usus,

Quam quos pauperies imperiosa premit.

Non magis excelsis Clotho iustissima parcit,

Parcere quam spretis pauperibusq; solet.

Hæc moueant aliquo ne quem digneris honore:

In simili cuncti conditione sumus.

Deq;

Deq; uia nulli cedas quicumq; sit unquam,  
Imò occurrentes cedere coge tibi.

Cum socio latam spaciabere fortè per urbem,  
Et uia communis una duobus erit:

15

Siue sit equalis, seu dignior esse putetur,  
Tu dextrum studeas obtinuisse latus.

Si tamen immundo fuerit uia lubrica coeno,  
Nequaquam tibi mos iste tenendus erit.

Ingredièrè uiam quæ mundior esse uidetur,  
In medio comitem nil nocet ire luto.

Hoc tibi quid proffit facillè cognoueris ipse,  
Si tua uel modicum mens rationis habet.

Forsan erit uacuas crepitus mittendus in auras,  
Qui uenirem miseris torserat antè modis.

16

Quandocunq; libet dimitte, et ubiq; locorum,  
Quod natura facit, non reor esse malum.

Qui malè moratum te ideo contenderit, illi  
Reddere responsum tale repente potes:

Quatuor ex uento ueniunt in uentre retento,  
Vertigo capitis, colica, spasmus, hydrops.

Hanc tibi doctrinam medicorum regula tradit,  
Regula ciuili firma tenenda uiro.

CLAV dius edicto ructus crepitusq; teneri,  
Damna ualetudo ne ferat inde, uetat.

Pro te proq; tuis faciunt hæc moribus, atq;  
His te tutari non sine laude potes.

Florida cum uiridis calcatis gramina campi,  
Sermone est aliquo longa terenda uia.

17

D

DE MORVM SIMPLIC.

Ergo aliquis comitum de magnis dicere rebus,  
De pacis pulchra commoditate uolet.

Aut ueterum antiquos mores, uitamq; uirorum  
Ex aliqua doctus profret historia.

Hoc tu propositum mox interrumpere, loquendo  
Friuola, & in media sistere uoce iube.

Prisca iuueni alios antiquis gesta diebus,  
Dicito, me nostri temporis acta iuuant.

Vina uetusta quidem, ueteresq; probantur amici,  
Et uetus in prisco quæ fuit orbe fides.

Non tamen antiqua quodcunq; se origine iactat,  
Omne ego crediderim protinus esse bonum.

De rebus nostris nostraq; ætate loquamur,  
Quidq; boni præsens cuilibet hora ferat.

Hoc dicto, lepidas socijs proponere nugas  
Incipe, quas risum posse mouere putes.

Plurima de dulci conficta loquaris amica,  
Blanditias quoties dixerit illa tibi.

Verba iuuant austera parum, iocularia profer,  
Sæpius & multum turpia laudis habent.

•• Moribus ô iuuenis discas præsentibus uti,

•• Si qua tibi est socijs cura placere tuis.

Deposito loquitor quæuis obscœna pudore,  
Parui animi signum creditur esse pudor.

Hunc adolescentes morem pleriq; sequuntur,  
Conuentus quorum tempora nostra uidentur.

Vt nihil in medium dicant de rebus honestis,  
Nescia sed potius uerba pudoris ament.

Quod

Quod faciunt omnes, cuius fecisse decorum est, 66

Et minus est fallax quæ bene trita uia est. 66

Tu quoq; consuetum sectare per omnia morem,

Et loquitor cunctis quod placuisse queat.

Vana locuturus, semper quod dicat habebit, 66

In nugisq; loquax quilibet esse potest. 66

Si tamen in promptu nihil est quod dicere possis, 18

(Hoc equidem raro posse uenire putem)

Suauiter irride quicquid tum dixerit alter,

Despiciens quæ sunt non bene nota tibi.

## CAPVT VII.

De adornatione mensæ ante cœnam,  
& alijs ministerijs.

**S**ed modò cæruleas declinat Phœbus ad ūdas,  
Ut gelido fessos æquore mergat equos.

Sumendaq; horã reor haud procul absore cœnæ,

Vtq; domus repetas limina tempus erit.

Colloquium ualeat, uacua quod detrahit aluo,

Nil facit ad rigidam concio longa famem.

Non tamen ut nimium properes uolo: nil nisi certo

Consilio facias, incipiasq; nihil. 66

Vltra præscriptam si fortè emanseris horam, 66

Non res illa sua commoditate caret.

Forsitan interea dum tu tua munia differs,

Cuncta domi pro te qui paret alter erit.

Alter erit mensam qui mappis instruat, & qui

Obsequium domino deferat omne tuo.

## DE MORVM SIMPLIC.

Hoc potes inuisum pacto uitare laborem,

Quem semper quauis, qui sapit, arte fugit.

Site cogatur pater expectare, uel hospes,

Certa tibi utilitas, & decus, illud erit.

Utilitas, patrij quia signa uidebis amoris,

Nec dubiam cernes hospitis esse fidem.

Sed decus egregiū est, quod ab hospite, siue parente

Tale nihil merito tantus habetur honos. (te,

At uel inhumanus pater est, uel perfidus hospes,

Si dum per campos tu spaciaris, edant.

2 Quando domum uenies, si nondū mensa parata est,

Et tu sternendi tempus adesse scies:

Iniusus minimē sternes, quia nescio simplex,

Si facias, dici qua ratione queas.

3 Non iuuet ut sapiens uideare uel aptus agendis

Rebus, nec uirtus proderit ulla tibi.

Simplicitas prodest, hæc te tutabitur omni

Tempore, quantumuis feceris omne malum.

Et quia ad officium quoduis credēris ineptus,

Nulla iniungetur res facienda tibi.

Qui sua prudenter uitare incommoda nouit,

” Quidq; sibi proffit, qui uidet, ille sapit.

” Sæpe suas qui diuitias iactauit, iniquo

” Factus raptori præda pudenda fuit.

” Ast in delitijs & tuta pace quieuit,

” Qui bene quas habuit dissimulauit opes.

” Interitum multis uirtus iactata parauit:

Quis uocat ignauos ad fera bella uiros?

Ut foret



Ut foret in tuto Chironis alumnus Achilles,  
 Virtutem sumpta texerat ille colo.  
 Quid Laërtiades? simulato nonne furore  
 Aspera conatus bella cauere fuit?  
 Tu quoq; si quicquam uirtutis habebis *et* artis,  
 Omnibus id studeas dissimulare modis.  
 Magna uel inuitum tentare negotia cogent,  
 Si te aliquid dominus posse patere sciet.  
 Orbibus micetis mensas ornare, uel ullo  
 Pane, superuacuum, ni iubearis, erit. 4  
 Non reor esse tuum cura uigilante uidere  
 Singula, uel quo sine scamna locata modo.  
 Nil opus est darum pani præcidere crustam, 5  
 Quem domini mensæ ponere in orbe paras.  
 Omnia damna caue: sed circumcidere panem,  
 Damna ferat domino uix reparanda tuo.  
 Quod fueris iussus tantum, nihil amplius unquam 6  
 Perficias, res est perniciofa labor,  
 Quem famulum domini fecit fortuna superbi,  
 Heu miser, heu quantum cogitur ille pati?  
 Quicquid agit scelus est, dominus nisi iusserit ipse  
 Mox grauis est culpæ poena parata leui.  
 Ergo aliquis dominum ne stulto offenderet ausu,  
 Consilio sapiens hoc prius usus erat.  
 Sumpsit agendorū schedulā bene prouidus antè,  
 Seruitij domino quàm daret ille fidem.  
 Hanc legit acceptam, memoriq; in mente recõdit,  
 Muneraq; officij percipit inde sui.

## DE MORVM SIMPLIC.

Nec facile obtineas opus aggrediatur ut ullum,  
Quin oculis lectam consulat antè schedam.  
Et quod agendarum non cernit in ordine rerum  
Expressum, officij non putat esse sui.  
Fortè erat à domino flammam extinguerè iussus:  
Cœperat accensam flamma cremare domum:  
Perlegit ille suas lento prius ordine chartas,  
Quàm peragat domini iussa seuera sui.  
Hoc sequitur multis factum memorabile causis,  
Et quid agas, quouis tempore certus eris.  
Multa prius monui, sumendi prandia tempus  
Cum foret, hæc isto mense reuolue loco.  
Non opus est eadem sæpe inculcarè docendo,  
Tempora inutiliter ne preciosa teram.  
Difficilis nulli nostra est doctrina, uolenti  
Dirigere ad uitam dogmata nostra suam.  
Multi etiã norunt, quæ tradimus, absq; magistro,  
Ingenij tanta dexterritate ualent.  
7 Cum tuus ad mensam dominus uè pater uè sedebit,  
Et reliquam secum iusserit esse domum:  
Continuò mense primam citus arripe sedem,  
Ne miser extremo constituare loco.  
Sæpe ministerium quoduis cogetur obire,  
Tardus in extrema qui statione sedet.  
Surge puer, reseraq; fores uenientibus, audit,  
Quis ueniat nobis hospes, et unde, uide.  
Et modò ser panem, modò ser noua sercula mense,  
Vox crit, & pleno uina refusa cado.

Fecerit

Fecerit ingratum canis importunus odorem,  
 Protinus ille furas eijciendus erit.  
 Post etiam admitti rursus mandauit eundem,  
 Cum uires aliqua fregerit ira mora.  
 Talia in extremis ueniunt facienda sedenti,  
 Hunc alij cedas me monitore locum.  
 Sin fueris iussus mensis astare minister,  
 Dum reliqui carpunt quos cupiere cibos:  
 Signa quod inuitus facias, manifesta relinquant,  
 Taliaq; iratus uerba referre potes:  
 Cur ego præ reliquis tanta grauitate laborum  
 Obruor infelix, seruitioq; premor?  
 Quin alijs eadem facienda negotia mandas?  
 Quo iure immunes hi tibi semper erunt?  
 Scilicet ut sepem calcet, quæ prona, uiator,      cc  
 Dum grauitè duro sub pede pressa gemat:      cc  
 Sic ualido firmæ cui non sunt corpore uires,      cc  
 Spretus humi domino sub meliore iacet.      cc  
 Quoq; magis cedit, magis cedere cogitur usq;      cc  
 Nec datur oppressum posse leuare caput.      cc  
 Forsitan efficies tam grandia uerba perorans,  
 Officium ut dominus nolit habere tuum.  
 Esse uoluptati credet, si letus obibis,  
 Teq; sibi famulum semper habere uolet.  
 Si uerò institerit, parendum censeo tandem,  
 Verbera ne scapulis ingerat ille tuis.  
 Simplicitas stulta est omnem fugienda per artem,  
 Quæ malè moratis uerbera dura parit.

## DE MORVM SIMPLIC.

- 10 **V**t docui supra, denuda corporis artus,  
Sic opus ad quoduis aptior esse potes.  
Siue cibos sola est sumptura domestica turba,  
Siue aliquis uestris aedibus hospes erit.  
Omnia tu solito pro more putabis agenda,  
Et memor usq; tuæ simplicitatis eris.  
Tempore cur ullo ciuilior esse labores,  
Quàm mea te facili carmine Musa docet?  
Seu fueris solus, seu multis iunctus amicis,  
Est eadem uitæ norma tenenda tibi.  
Omnibus in rebus nullum discrimen habeto,  
Quod decet hîc, nusquam non decuisse potest.

## CAPVT VIII.

### De ministerio mensæ in cena.

- 1 **C**onuiuas domino si præcipiente uocasti,  
Esse hilares sumpto quos uolet ille mero:  
More tuo officium te promptus ad omne parabis,  
Simplicitasq; tui regula moris erit.
- 2 **T**um tibi quæ nuper præscripsimus omnia serua,  
Verba tamen dictis addere pauca iuuat.  
Tam placidè in mensa, sic diximus antè, locabis  
Fercula, quæ plena iam noua lance feres:  
Vt calidum partes ius disijciatur in omnes,  
Atq; in eo pares ipsaq; mensa fluant.
- 3 **N**ec tibi diffuso conspergere iure sedentes  
Turpe puta, quamuis turpe putare queas.

Fors

Fors erunt qui se disperso iure perungi  
 Sape, rei uisa commoditate, uolent.  
 Quippe dapes multo condidit aromate Lixæ,  
 Gratus odor cerebro est ille, saporq; gulæ.  
 Hinc perfusa trahet gratum quoq; uestis odorem,  
 Qualis in apposito paulo erat antè cibo.  
 Resca conuiuis non est ingrata futura,  
 Et poterunt memores inde manere tui.  
 Si simulant animo factum hoc se ferre benigno,  
 Suauiter ut risu concutiare tuum est.  
 Hac etiam hospitibus risum ratione mouebis,  
 Proq; tua laudem rusticitate feres.  
 Hoc tamen offendi si factio intelligis ullum,  
 Inq; oculis iræ nuncia signa uides:  
 Est satis ut paucis purges tua crimina uerbis,  
 Feruida dat uerbis mollibus ira locum.  
 Sape quis inuitus (sic sunt mortalia) peccat,  
 Et miser est culpæ nescius ipse suæ.  
 Admonitus tandem dolet, & peccasse fatetur,  
 Hac ueniam admissi criminis arte meret.  
 Te quoq; crede mihi, uenia dignabitur hospes,  
 Conspiciens te non sponere fuisse malum.  
 Aut potius uerbis ultrò insectare seueris,  
 Quos tua non placidè crimina ferre uides.  
 Cur etenim stulti sibi non uoluere cauere?  
 Hac sit in illorum culpa regesta caput.  
 Inde ubi stas uigili coenantes lumine serua,  
 Ut uideas quantum quisque edat atque bibat.

DE MORVM SIMPLIC.

Nec te dissimules hoc obseruare, sed omnes

Effice conuiuæ quid specularè sciant.

Res ea fert secum non paucula commoda, tuq;

Vtilis hoc domino more ferere tuo.

Afficietur enim conuiuia pudore, minusq;

Ac aliàs, auido conerret ore cibi.

9 Nulla uerendarum tibi sit reuerentia matrum,

Nulla puellarum cura, nec ulla uirum.

Dices & facies semper quæcunque placebunt,

Et saltem satis est illa placere tibi.

22 Si culpant alij, tua te mens conscia laudet,

22 Laus ea præ reliquis sufficit una tibi.

6 Si quis pauca tibi facienda negotia mandat,

Vel rogat, et dominus non erit ille tuus?

An sibi te famulum conduxerit ille, require,

Vel faciat, tibi quæ præcipit, ipse, iube.

Si tamen illa tuus dominusue parensue iubebunt,

Vix poterit uerbis talibus esse locus.

Iussa quidem te facturum dic esse, sed illic

Lentus es, & nimium ne properare uelis.

Ne quid dum nimium properas incautus omittas,

Aut ne quid pecces præcipitanter agens.

Sed toruum uideas, ut, quòd non spontè sequaris,

Exprimat haud dubias uultus in ore notas.

7 Forsitan & lychnum munctore uidebis egentem,

Clarius ut lumen præbeat ille suum.

Stulte, quid hunc adeò properes emungere, si nò

Id iubeat dominus terue quaterue tuus?

Emungens

Emungens tandem si fortè extinxeris, euge,  
 Res à te numium gesta decerner erit.  
 Id quoque ciuile est, ut densum ascendere fumum  
 Luminis extincti semper in alta sinas.  
 Si tamen emungens extinguere fortè uereris,  
 Quòd metuas domini iurgia seua tui:  
 Fumus ut alta petat lychni nihilominus ater,  
 Hoc alia effectum callidus arte dabis.  
 Luminis ad terram subsectas abijce partes,  
 Fumidus ex illis surget in alta uapor.  
 Cur pede conculces, si non iubearis ab ullo?  
 Imò quid est iussus moriger esse uelis?  
 Quin potius fors ex studio linquatur aperta,  
 Qua tibi erat breuior facta fauilla facis.  
 Inde per exiguam fumus petit æthera rimam,  
 Ille nouo totam suffit odore domum.  
 Vix equidem credo grauidis odor ille puellis,  
 Scilicet optatam ferre putatur opem.  
 Hospitibus certò gratum tu crede futurum,  
 Foemineoq; nihil posse nocere gregi.  
 At si diuersum quisquam defenderit, idq;  
 Institerit firma uelle probare fide:  
 Propositiq; sui testes produxerit, acri  
 Ingenio quondam qui uiguerè uiros.  
 (Nam foetum grauidæ conceptum matris in aluo,  
 Plinius ex illo dixit odore mori)  
 Protinus hunc magno uictum clamore probabis  
 Turpiter & uero dissona uerba loqui.

NCC

DE MORVM SIMPLIC.

Nec pudeat coram tota confundere mensa,

Ultimaq; hæc dictis addere uerba tuis:

Liberius bone uir mihi pauca ignosce loquenti,

Debueras linguæ parcior esse tuæ.

Vir malus est famam qui per mendacia querit,

Gloria laudandis non uenit inde uiris.

Non equidem meminisse recolens quòd Plinius ullo

Verba, sui oblitus, dixerit illa loco.

Vnde etenim nouisse queat? sed dixerit, esto:

Non tamen est dictis semper habenda fides.

Plurima lecturis Autor scripta ille reliquit,

Congrua quæ uero non satis esse liquet.

Hæc ubi protuleris, rerum credere peritus,

Scriptaq; magnorum peruolitaſſe uirum.

9 Euacuata, alio iam repleturus laccho

Pocula, porrecta corripe tota manu:

Corripe tota manu, uinumq; infunde repente,

Largiter ut summi plena sit ora scyphi.

Atq; ideo summam replebis pocula ad oram,

Ne te infundendi sepe fatiget onus.

Siq; manu tremula reddens persuderis ullum,

Quid refert? uinum cui nocuisse queat?

Vel prius è Cyatho profundere pauca terræ,

Non equidem magnum crimen habere putem.

10 Sin nimis impletum cratæra imponere mensæ

Non libet, & domini iurgia seua times:

Pauxillum immisso poteris prius inde labello

Sorbere, & domino tradere deinde suo.

Vel



Vel, quod crediderim ciuilius esse, lagena  
 Reddito, mensuram quod superare uides.  
 Si quid enim fundo calicis residebit in imo,  
 Quod credi mundum non satis esse queat:  
 Mox tibi totius diffusum in uina lagena,  
 Non poterit uires iam retinere suas.  
 Diuersi generis, nec nata in montibus iisdem  
 Pocula, conuiuis proposita esse uides,  
 Non opus est curis angi pallentibus, ut quo  
 Singula sint teneas uasa replenda mero.  
 Quod propius positū te cernis, id arripe, & inde  
 Ordine posthabito pocula quæq; reple.  
 Quid nocet omnigenum Bacchi miscere liquorem?  
 Omne merum tellus una eademq; dedit.  
 Vinorum uirtus omnis cogetur in unum,  
 Si bene miscueris uina uetusta nouis.  
 Et solidam laudem uirtus unita reportat,  
 Quæ nisi iuncta foret nul ualitura fuit.  
 Si tuus ille nouus mos esse uidebitur ulli,  
 Huic dare responsum tale paratus eris:  
 Num tibi Pæoniæ non est mos cognitus artis?  
 Nec quid agant medici docta caterua tenes?  
 Sollicitis raro patientibus ulla propinant  
 Pharmaca, quæ docta sint bene mixta manus.  
 Misceri uarias si non foret utile partes,  
 Non puto quod tantis mos foret ille uiris.  
 Est eadem ratio seruanda in potibus illis,  
 Quoscoquit in uarijs Saxonis ora locis.

Optimus

## DE MORVM SIMPLIC.

Optimus ad nostras Hamburgo mittitur oras,

Qui gratus gustu est, & bene corpus alit.

Inferior paulò est, tamen haud spernenda Breana,

Hannouera ex undis potio cocta tuis.

Mumma quoq; antiqui prisca Bruonis ab urbe,

Et bonus Embeca potus ab urbe uenit.

Quaelibet inter se nullo discrimine misce,

Omnia sunt uni debita pocula gulae.

13 Cum tibi dat uacuum quisquam cratera, petitq;

Repleri, tali te ratione geres.

Si quid adhuc fundo superesse uidebis in imo,

Mox epotandum noueris esse tibi.

14 Deq; suo si quis cyatho tibi fortè propinat,

Et iubet ut secum p aucula uina bibas:

Aut te uelle neges, aut exhaurito receptum,

Atq; adeò ut maneat guttula nulla super:

Inde alio reple tibi pocula tradita uino,

Atq; recens domino redde repleta suo.

15 Non ego te capitis iubeo nudare capillos,

Cùm bibis alterius tradita uina manu.

Vel satis est digitis saltem tetigisse duobus

Pilea, quæ capitis sunt tegumenta tui.

Vel detracta manu lenè, post terga relinque,

Vt te iacturum qui uidet esse putet.

16 Cumq; tuo stabis studiose munere fungens,

Vt repleas uacuos pocula sicca scyphos:

Quàm bene moratum poterunt te dicere cuncti,

Si cadat è digitis amphora fracta tuis?

Si dominus

Si dominus rapidam fuerit commotus ad iram,  
Lenibus hunc uerbis conciliare potes.

Istius ebrietas mea causa est criminis, inque,  
Peccato ueniam protinus ille dabit.

Si quem stare uides uino cratera uacantem,  
Quem conuiuia negat quilibet esse suum.

Forsitan hunc aliquis tam pocula multa perosus,  
Se posuit, metuens ebrietate capi.

(Non decet ad mensam uacuos astare culullos,  
Exhaustis requiem nec decet esse scyphis)

Tu rape & impletum mox cui uis cunq; propinas,  
Sic redit in seriem procius ille suam.

Nec tamen occultis sine fraudibus egeris illud,  
Nam decus est tectis fallere posse dolis.

Tu tua replebis Cereali pocula Zytho,  
Qualem in Saxonia gens celebrata coquit.

Ast alijs Bacchum & Cerealia munera misce,  
Plus bene commistis saepe ualoris inest.

Sic potes incautis imponere, ut ebria fiat  
Turba, sed interea sobrius ipse manes.

Vel si conuiuas non est tibi fallere cordi,  
Ebibe cum summa pocula cuncta fide.

Hac prior euades reliquis arte ebrius, & sic  
Hospitibus melius ridiculo esse potes.

Exemploq; tuo cunctos hortaberis, ultrò  
Vina ut certatim largius ipsa bibant.

Mox etenim letum te ridiculumq; uidentes,  
Esse etiam læti ridiculiq; uolent:

CAPVT

DE MORVM SIMPLIC.

CAPVT IX.

Quomodo à ccena conuiujs ministranda pocula, & quibus ijdem technis abigendi.

**F**idus in officio ne non uideare minister,  
Sedulus, ut potens fortiter, autor eris.  
Nec prius ire domum, quenquam patiare uocatū,  
Quàm multa titubent ebrietate pedes.  
Etd ominis quamuis tuus haud uetet ire uolētes,  
Tu tamen id fieri quàm potes usq; ueta.  
Pocula nec cuiquam uolo te replere petenti,  
Quin penitus uideas euacuata mero.  
Ebibe fac uersum, dicas, uina addere uinis  
Stultus ego officij non reor esse mei.  
Cur ego dissimulem, quòd tu tibi parcere tentas?  
An me iustitiæ non meminisse putas?  
Iustius egregijs uini potoribus, ullum  
Haud hominum in terris, arbitror esse genus.  
Hanc ego iustitiam quoque conseruare laboro,  
Nec uetus in rapidos fama eat illa notos.  
Hospitibus cunctis me conuenit esse fidelem,  
Quo bene commissum munus obire queam.  
Sic loquere, & quamuis precibus te mille rogarit,  
Non tamen infundes, ni prius ebiberit.  
Semper et id uigili faciendum ducito cura,  
Forsan & hïc aliquid quod tibi proffit erit.  
Nam conuiuia domum citius bene potus abibit,  
Lumina iucundi plena soporis habens.

Tu quoq;

Tu quoq; temperius poteris tua corpora somno  
 Reddere, qui nimium manè relictus erat.  
 Attenuant iuuenum uigilate corpora noctes, 66  
 Naso grauis blandi doctor amoris, ait.  
 At requies lassos nocturna laboribus artus 66  
 Recreat, & dulci membra sopore leuat. 66  
 Hanc ergo ad metam toto contendito cursu,  
 Conuiuas potos ut remouere queas.  
 Incidit hïc uigili quod erit tibi mente notandum, 2  
 Et bona pars ueræ simplicitatis erit.  
 Bina sedere uides conuiuia in ædibus ijsdem,  
 Nec similes uitæ conditione uiros?  
 Forsitan hic stupidi potat sex infima uulgi,  
 Vulgi, quod tantum commoda uentris amat.  
 Ast illic hominum non magna caterua honorum  
 Considet, & lusu tempora longa terit.  
 Et tibi concessa est uinorum plena potestas,  
 Totaq; cum clauē est credita cella tibi:  
 Optima contemptæ reserabis dolia turba,  
 Vina bonis promens deteriora uiris.  
 Nec leuis est ratio, cur non depromere quisquam  
 Debeat eximijs fortia uina uiris.  
 Egregios homines, qui magna negotia tractant,  
 Quosq; uagum merito uulgus honore colit:  
 Non decet insana nimis ebrietate grauari,  
 Ne poti, quod non conueniebat, agant.  
 Ebrietas uictos sibi subiicit improba sensus, 66  
 Seq; uelut dominam membris in arce locat. 66

## DE MORVM SIMPLIC.

Et vitium tanto sceleratius esse putatur,  
Quanto qui peccat maior habetur homo.  
Ne uideare igitur tam magni criminis autor,  
Quæ bona sunt illis tradere uina caue.  
Quid? quòd et in longum studio producere temè  
Colloquij longi mutua uerba solent. (Pus)  
Inerec a uino uideas moderatius uti,  
Colloquiumq; illis dulcius esse mero.  
Sic etiam in multam traherent conuiuia noctem,  
Immemores propriae tecta subire domus.  
Non potes huic alia morbo ratione mederi,  
(Difficili tristis cura adhibenda malo est)  
Pocula quam cautus si quæ sunt uilia promas,  
Quæ putes nullo posse placere modo.  
Nonequidem longo mansuros tempore credam,  
Nequitia offensos prome maligne tua.  
Nam neq; pro uili numos exponere uappa,  
Nec stomachum ingrato ledere acore uolent.  
Quisq; suas igitur sapiens properabit ad ædes,  
Ut sua iam dulci membra sopore leuet.  
Viuit adhuc fama Xantippe Socratis uxor,  
Quam meruit famam moribus illa suis:  
Fortè domum paucos conuiuas ille uocarat,  
Artibus eximios ingenioq; uiros.  
Colloquium grauibus doctum de rebus habebant,  
Tingentes uarijs seria dicta iocis.  
Cumq; diu tererent nocturnis tempora nugis,  
Res ea Xantippe non ita grata fuit.

Colloquio

Colloquio tandem quò finem imponeret isti,  
 Consilium cerebri protulit omne sui.  
 Iurgia conuiuis, conuitia multa marito  
 Fecit, & in rixas lingua diserta fuit.  
 Sed sua contemni cum iurgia, seq; uideret,  
 Omnia tentandum credidit esse sibi.  
 Et ueniens solita mensam subuertit in ira,  
 Conuiuasq; suos iussit abire domum.  
 Hoc ego te facinus quoq; iam tentare iuberem,  
 Si nimis hos uideas uelle sedere diu.  
 Sed reor illorum te maiestate moueri,  
 Atq; minus facinus tale placere tibi.  
 Ergo potes uim melius remouere maligno,  
 Vt cupiant ultro quisq; redire domum.  
 Profuerit fors an quoq; sæpe monere morantes,  
 Quem teneant cœli frigida plaustra locum. 4  
 Et quota iam noctis properans exiuerit hora,  
 Vnde sibi somni tempus adesse sciant.  
 Nec pudeat uana cessantes fallere lingua, 5  
 Colloquia & structis rumpere longa dolis.  
 Vix semel ediderit canum cristata uolucris,  
 Principium seræ noctis adesse notans.  
 Tutamen à medio nocturna recedere coelo  
 Sidera, & occiduas tendere, finge, ad aquas.  
 Aut potius clarè, quid enim malus esse uereris? 6  
 Dic repetant tecti limina quisque sui.  
 Ne tibi uel domino iam pergant esse molesti,  
 Indultum leuibus plus satis esse iocis.

DE MORVM SIMPLIC.

7 Rustica uel ratio si non placet ista fugandi,  
Quos uirtute graues conspicias esse uiros.  
Quantumcunq; uolent spacium concede sedendi,  
Ut quod agendum illis cunq; uidetur agant.  
Sed procul inde abiens sapientem desere coetum,  
Aptior ingenio est stulta caterua tuo.  
Hic audire iocos & delectamia uerba,  
Quodq; bibas auido gutture ferre, potes.  
Imerca soli sedeant famuloq; carenes  
In tenebris tetrici, turba odiosa, senes.  
Vinaq; non illis sitiemibus ulla propines,  
Hinc uideant curæ se minus esse tibi.  
Quid facient, adeo se spretos esse uidentes?  
Quisque uolet tugurî tecta subire sui.  
8 At reliquos melius tractare intende bibones,  
Qui minimum rectæ mentis habere student.  
Immunnes etenim cum sint à rebus agendis,  
Cur studeant auidam freno inhibere gulam?  
Parua uiris etiam sapientia sufficit illis,  
Exiguumq; boni cordis habere sat est.  
Impliciti magnis nullo sunt tempore rebus,  
Curasq; ex animo deposuere suo.  
Non sunt solliciti de prole & coniuge alendis,  
Nec magnas animus querere feruet opes.  
Consilium saltem referunt huc pectoris omne,  
Ut semper letis memibus esse queant.  
Ut bona uina bibant, ut Bacchanalia uiuant,  
Ut uario lusu tempora cuncta terant.

His



His bona uina uiris, his præstantissima profer,  
 Sint licet in multis illa repostata seris.  
 Assidua ebrietas tales delectat, et illis  
 Quantumuis fortis potio nulla nocet.  
 Hunc hominum ut possis rabidorum augere furo-  
 Ingenij profer consiliū omne tui. (rem,  
 Et calcas nimium per se currentibus adde,  
 Quaque abeunt ultro currere coge uia.  
 Largus ut potens, sapidissima uina propina,  
 Quæ uetera et multi roboris esse scies,  
 Temperius potu uicti cogentur abire, et  
 Temperius somno corpora plena dabunt.

## CAPVT X.

De conuiuiarum à cœna confabulationibus, altercationibus, & rixis.

**C**um bene erūt poti, uarijs de rebus habebūt  
 Colloquia, et pro se quisq; disertus erit.  
 Tunc noua gestarum poteris miracula rerum  
 Percipere, et cunctis gesta probanda modis.  
 Hic referet qualis fuerit puerilibus annis,  
 Quam fuerit lusus promptus ad omne genus.  
 Qualis in exultans equitârît arundine longa,  
 Qualiaq; in ficto bella parârît equo.  
 Ille suos quondam iuuenis narrabit amores,  
 Quæ dederit blando uerba puella sono.  
 Successus referet rerum casusq; suarum,  
 Quam fuerit felix, quamq; in amore potens.

DE MORVM SIMPLIC.

Sæpius ex imo suspiria pectore ducet,  
Cum memor istius prosperitatis erit.

Dulcia præterita reminiscenstempora uitæ,  
O gemitus quales corde dolente dabit.

3 Contra alius fuerit sua qui mala plurima narret,  
Quæ quondam insano cæcus amore tulit.

Qualiter in media tulerit fera frigora flamma,  
Qualiter et pluuias uicerit atq; niues.

Quod noti nullo sit factus tempore compos,  
Et nihil impensas, nil ualuisse preces.

4 Non deerit charam qui laudibus ornet amicam,  
Et uaga per cœli sidera uoce ferat.

Ille puellares auro certare capillos  
Dicet, et auricomis uincere fila croci.

Non secus ac stellas oculos rutilare coruscas,  
Idaliæ quales credimus esse deæ.

Os bene compositum, malas faciemq; rotundam,  
Dulciaq; à roseis oscularapta labris.

Candori mixtum testabitur esse ruborem,  
Ceusint purpureis lilia mixta rosis.

Et teretes referet digitos, teretesq; papillas,  
Cruraq; Sithonia candidiora niue.

9 Ast alij hinc aliud pro tempore quisq; loquentur,  
Quisq; status dicet pro ratione sui.

Prælia narrabit Mauortius horrida miles,  
Venator celeres laudat amatq; canes.

Commemorat pingues qui gaudet frugibus agros,  
Lanigero upilio de grege multus erit.

Nauita

Nauitate uemis, de fluctibus equoris, illis  
 Quinon uiderum equora multa refert.  
 Quisquis de rebus habet quæ plurima dicat,  
 Quæ noua grata tuis auribus esse queant.  
 Crimina transacta multi recitare iuuenta,  
 Et sibi ab his laudem quærere sæpe solent,  
 Sæpe ego nequitiam uitæ iactare prioris  
 Audiui meritos, nec puduisse, senes.  
 Illa bonos doceant exempla senilia mores,  
 Et puer à senibus discere multa potest.  
 Tu patulas adhibe tantum dicentibus aures,  
 Singulaq; attento pectore uerba nota.  
 Tum si te quisquam conuiuia uocauerit ad se  
 Fortè, quòd officijs indiget ille tuis:  
 Exhausta ut repleas infuso pocula Baccho,  
 Vel facias aliud quod tibi mandat opus:  
 Dissimula uocem te percepisse uocantis,  
 Ingratoq; aures obstrue utraq; sono.  
 Hoc quoq; Sirenum cantus fugiturus Vlysses  
 Fecit, et euasit perfida tela necis.  
 Illeuit cera sociorum callidus aures,  
 Carmina ne possent per scelerata capi.  
 Sic tu, ne quò non libuit cogaris abire,  
 Dulceq; colloquium linquere, surdus eris.  
 At si non poteris saluo differre pudore  
 Amplius, et crebris uocibus ille uocat.  
 Et tibi adhuc cordi est nugas audire loquentum,  
 Hac reor id facile est obtinuisse uia.

## DE MORVM SIMPLIC.

Tempus ut expectet modicum conuiuia preceris,  
Difficilis precibus non erit ille tuis.

Mox te uenturum tamen affirmare memento,  
Quando habeat finem fabula ccepta suum.

Non adeo importunus erit, quin pauca rogami  
Concedi saltem tempora posse putet.

9 Cum grauis ebrietas cerebri penetralia sacri  
Irrumpens, summa fixerit arce pedem.

Cumq; triumpharit iam de ratione fugata,  
Mensq; erit è folio præcipitata suo.

Grandia de magnis surgens certamina rebus,  
Disseret & uarijs lingua diserta modis.

Afferet hic animas post tristia uiuere fata,  
Nec cum terrigeno corpore posse mori.

Sed mutare locum, et noua corpora rursus inire,  
Atq; hominis fieri quæ fuit antè fera.

At res hæc alijs absurda uidebitur esse:

Dogmata non cunctis Pythagorea placent.

Inuenias, qui totam animam cum corpore credant  
Concidere, ut rapido cum perit igne calor.

Hic quoq; qui contra pugnent reperire licebit,  
Quiq; negent istam uituperentq; fidem.

10 Deq; alio multi referent miracula mundo,  
Qui procul à nostri sit situs axe poli.

Hic homines dicent cum denibus ora canina  
Pandere, & humana pellerè carne famem.

Diuersum statuent alij, nec posse putabunt  
Naturam rerum talia monstra pati.

Quisq;

Quisq; suis pro uiribus adferet argumenta,  
 Quiq; uelit uictus cedere, nullus erit.  
 Concipiunt multi uanas pro regibus iras, 10  
 Et grauibus uerbis prælia magna gerunt.  
 Hosq; Duces cælo supremis laudibus æquam,  
 Aetheriæq; domus hos super astra leuant.  
 Ad Stygias illos detrudunt usq; paludes, 11  
 Vsq; adeo lingua uituperante premunt.  
 Hos alij contra contraria sensa tenebunt,  
 Deq; suo nolent cedere proposito.  
 Hi quoque culpabunt quos laudauere priores,  
 Quosq; solent illi uituperare, colent.  
 Nonnulli facient discrimina longa dierum, 12  
 His erit hic ater, candidus alter erit.  
 Sed contra inuenias, ea qui discrimina tollant,  
 Inq; pari ponam conditione dies.  
 Quilibet adducet quæ se nouisse putabit, 13  
 Notitiamq; horum solus habere uolet.  
 Non feret hoc alter, sed & ipse peritus haberi  
 Multarum rerum consiliq; uolet.  
 Hinc, quascūq; theses dabit ipsa occasio præsens,  
 Arripient, & lis luctaq; grandis erit.  
 Forsan & à uerbis uenietur ad arma cruenta, 14  
 Proq; argumentis ensis acutus erit.  
 Hic uetus haudquaquam Dialectica sufficit, illa  
 Non docuit tali dicta probare modo.  
 Surgat Aristoteles aliquis, logicamq; recudat,  
 Monstret ut ex quo sit ducta machera loco.

## DE MORVM SIMPLIC.

- 15 Tu parti alterutri succurrere fortiter iusta,  
Consensuq; tuo praelia cepta iuua.  
In medium audacter prodi, positoq; timore  
Deprome arbitrij libera sensa tui.  
Vince tuo strepitu cunctos, clamoreq; uince,  
Stentoreumq; imo pectore rumpe sonum.
- 16 Fortis es, et claris, MENTIRIS, dicito uerbis,  
Verba loqui si quem non ita firma putas.  
Cuncti obmutescant, intentiq; ora tenebunt  
Protinus ad uocis fulmina tanta tue.  
Et simul ingenium felix, animiq; uigorem  
Mirati tacita laude per astra ferent.  
Hinc tu nobilis es magnoq; in honore futurus,  
Multisq; ingenij nomine charus eris.  
Quem tamen argueras mendacia uana loquutum,  
Illius infidias me monitore caue.  
Nanq; solent aliqui faciei impingere pugnum,  
Si tibi mentitos esse probare uelis.

## CAPVT XI.

Quomodo peracta cœna conuiuæ di-  
mittendi, quid agendū antequam  
cubitum eas: & Epilogus libri.

- 1 Si nimis extendent in multam ludicra noctem  
Praelia, res non est illa ferenda tibi.  
2 Fraudibus instructum multis decet esse dolisq;  
3 Consultum rebus qui uolet esse suis.

Nik

Nil tibi totius profunt conuiuia noctis,  
 Impediunt somnum turpiter illa tuum.  
 Ergo opus ingenio est, tecta quò callidus arte  
 Quemq; suæ iubeas limen adire domus.  
 Amè, quibus possis sapiens rationibus uti,  
 Diximus, hîc illas quid renouare uetet?  
 Fors aliquis quota sit conuiuia rogaerit hora,  
 Tu percontanti dicere uera caue.  
 Vix decimam cantu cristatus prodidit ales,  
 Tu dic bis sextam iam sonuisse diu.  
 Sæpius hoc etiam facies cum nemo rogârit,  
 Commoda quò somni tempora scire queant,  
 Si nihil horarum cursu noctisq; mouemur,  
 Nec tua te quicquam uerba dolosa iuuant.  
 Tunc non immeritò manifesta dicere uoce,  
 Ut tandem redeant ad sua quisque, potes.  
 Et licet à domino non sis hoc dicere iussus,  
 Ingratum domino non tamen esse putem.  
 Diceret ipse eadem, saluo si posset honore.  
 Turpe quod est illi, te decuisse potest.  
 Quàm primùm incipient abituri surgere poti,  
 Ne mora sit clausas pandere repente fores.  
 Pande fores, monstrâq; uiam surgentibus ultro,  
 Atq; hæc ad uestros est iter, inque, lares.  
 Cumq; tuo domino conuiuæ, siue parenti,  
 Iam blæsum dicent accipientq; Vale,  
 Tu pete consueti penetralia chara cubilis,  
 Et recrea dulci membra sopore tua.

ipse.

## DE MORVM SIMPLIC.

- Ipse tuus dominus (per te licet) ostia claudat,  
Occlusas ædes si uolet esse suas.  
Ipseq; candelas extinguat, sopiat ignes,  
Postremus cubitum (sic Cato mandat) eat.
- 6 Vel tu candulam (consultius arbitror illud)  
Dormitum quando cœperis ire, cape.  
Ne miser in tenebris offendas crura pedesue,  
Improba nox secum multa pericla trahit.  
Per tenebras melius densas herus ire ualebit,  
Ædis notitiam totius ille tenet.
- 7 Solus in obscuris sua uestimenta tenebris  
Exuat, officio non eget ille tuo.  
Tu face nocturnam tibi ne res ulla quietem  
Impediat, rapidis passibus hora fugit.  
Si sapias ergo tuis in tempore prospice rebus,  
Deq; alio nunquam cura sit ulla tibi.  
Et licet hi mores minus esse putentur honesti,  
His tamen utilitas moribus ampla subest.
- 8 Tollere de mensa Cyathos & pocula differ,  
Mane eadem melius tollere tempus erit.  
Omnia si tollas, & protinus omnia purges,  
Utilitas quæso quæ uenit inde tibi?  
Signa relinquantur manifesta uidentibus, illo  
Symposium minimè triste fuisse loco.  
Gaudia sic animis spectantum hesternæ recurrent,  
Letitiæ memorem, quæ fuit, esse iuuat.
- 9 Imò aliud dicam, tu rectis auribus astas,  
Es memor ut uites omne laboris onus.

Mane



Mane uel ad mediam uolo te requiescere lucem,

Ne minuat cerebrum nox uigilata tuum.

Tunc quoq; de blando nolim te surgere lecto,

Quin pater aut dominus terq; quaterq; uocet.

Interea famula collecta poteria tollent,

Inq; suum referent pocula quæq; locum.

Quæq; tibi fuerant peragenda negotia, pro te

Efficient, & tu postea liber eris.

Cum bene dormieris uinumq; euiceris omne,

Surgito, sed medium Sole tenente dicam.

Tradidimus supra præcepta salubria, surgens

Qualibus ornatus moribus esse queas.

Omnia tu semper serues, & ubique memento,

Singula ne sit opus dicta nouare mihi.

Sunt etiam uino qui delectentur adusto,

Hac sibi restitui se ratione putant.

Hoc & tu facies, nisi mos tibi displicet iste,

Nam mala sunt alijs eijcienda malis.

Multa docendus eras, simplex ut in omnibus esses,

Sed propero, & rebus uincor ab ipse meis.

Ipsæ tuo ingenio quantum potes utere, & ista

Dicta potes factis exuperare tuis.

Paucula percurro saltem, ne longius ipsa

Iliade, urgeni singula, surgat opus.

Paucula sufficient, ipso quia doctus ab usu

Ipsæ potes monitis addere multa meis.

Singula coner enim libro comprehendere in uno,

Vix istum caperet maxima terra librum.

Opprimeret

DE MORVM SIMPLIC.

Opprimere tanto miser ipse labore, meiq;  
Ingenij uires exuperaret onus.

Imperium siquidem stolidorum nulla coërcet

Meta, & ineptorum regia sine caret.

Aspicias oculis totum uigilantibus orbem,

Quodq; hominum toto uiuit in orbe genus.

Inuenies semper mores & ubique pudendos,

Hei mihi barbaries non habet illa modum.

Non pudet effœtam committere facta senectam

Turpia, nec canos dedecorare suos.

Illam nimis docili nocitura exempla iuuentæ

Præbet, & ad uitium præuia monstrat iter.

Et inuenes (æui tanta est petulantia nostri)

Viuerè laudandum turpiter esse putant.

Quis pueros meliora sequi, uitamq; priorem

Deserere, & mores excoluisse docet?

Non uir, non mulier, meminisse uidentur honoris,

Omnia deposito quisque pudore facit.

Virginibus quondam laudi pudibunda dabantur

Lumina, uirtuti cum suus esset honos.

Nec nisi pauca loqui casto sermone solebant,

Indicium casti pectoris illud erat.

Nunc decus est oculos temerè quocunq; uagarè

Virginis, & rectas non tenuisse uias.

Nunc decus est, uerbis illas petulantibus uti,

Rusticaq; est, blando quæ nequit ore loqui.

Quid memorem magnos homines, rerūq; potitos,

Imperium in reliquū qui rude uulgus habent?

Oblit

Obliti decoris sine more loquuntur aguntq;  
 Quæ præceptis animi cunque libido iubet,  
 Quiq; graues regni manibus moderatur habenas,  
 Quæ prohibere alijs cuncta decebat, agunt.  
 Ingredere inflatas monstrosos fastibus aulas,  
 Atq; ducum celsas, atria longa, domos,  
 Protinus occurrent in primo limine multi;  
 Quos nihil humanæ membris habere putes.  
 Ebrietas illic & turpis uita ferarum  
 Visitur, imperium crapula foeda tenet.  
 Non alibi peius malesuada superbia regnat,  
 Quæ mors hominum non sinit esse bonos.  
 Talia subiectum sequitur uestigia uulgus,  
 Ut docilis quæuis ad mala turba sumus.  
 Plura queri morum de rusticitate uolebam,  
 Dicta sed hæc isto sufficit esse loco.  
 Rustica nam uerbis me turba rogantibus urget,  
 Perficere inceptum quod mihi restat opus.

FINIS LIBRI PRIMVS.

DE

DE MORVM SIMPLIC.  
DE MORVM SIM-  
PLICITATE LIBER SE-  
CVNDVS.

CAPVT I.

Quomodo se gerere debeat ab alio in-  
uitatus, quibus moribus conuiuū  
accedat, & men<sup>te</sup> accumbat.



ACTENVS  
edocui qua simpli-  
citate uocatos  
Abs te cōuiuas  
exhilarare queas:  
Sed tanquā famu-  
lum, cui non est  
plena potestas.  
Et qui sub domini  
cogiture esse manuo

*Qua ratione tuo inuitatos nomine tractes,*

*Alter hic extremo fine libellus habet.*

*Iam si fortè aliò fueris conuiuia uocatus,*

*Discito quīs illic moribus esse queas.*

**1** *Principiò ex puero quæres non pauca uocante,*

*Quos uocet, & quæ sit causa quòd ille uocet.*

*Cur alium dominus non miserit ipse ministrum,*

*Vnde tibi maior surgere possit honos.*

*Deniq; quas carnes, quos pisces emerit hospes,*

*Et quanto dandos emerit ære cibos.*

*Quas*

Quas epulas coquus, & quæ condimenta pararit,  
 Quoie queas auidam pellere pane famem.

Qualia sit promus ueniemi uina daturus,  
 Quæ conuiuia domum pemmata quisq; ferat.

An quoq; ducendæ post fercula sumptâ choreæ,  
 Ecqua sit ad tales uirgo uocata dapes:

Symposij tandem socios epulasq; paratas,  
 Si spes est animo posse placere tuo:

Tempore uenturum iusto promittito sanctè,  
 Sic ubi iam fuerint singula nota tibi.

Si tamen obseruas conuiuia ad illa uocandos  
 Esse aliquos, odium qui meruere tuum:

Non ego te iubeo temerè promittere quicquam.

Conueniens hominum non genus omne tibi est:

Non sed eas rigidos inter conuiuia Catones,

Qui grauitè tantùm uerba seuera crepant.

Ergo alios manda uocet ad conuiuia, qui sine

Moribus & uitæ congrua turba tuæ.

Fercula præcipies etiam meliora parari,

Si minus illa tuæ sint placitura gulæ.

Cuncta sed ut possis melius retinere fideli

Mente, culminari quæ parat arte coquus:

Posce paratorum comedendorumq; libellum,

Qui moneat quales de tibi lixa cibos.

Hinc præscire potes, quid edas, quid stare relin-

Cui uimo serues, quæis epulisq; locū. (quas,

Prolatam è pera schedulâ quoq; sepe reuolues,

Quæq; dedit releges fercula, quæq; dabit.

DE MORVM SIMPLIC.

Tum si quid coctum tu legeris esse, nec illud  
Allatum mensæ uideris esse tuæ:

(Forsitan hoc alijs hospes uel lixa reseruat,  
Tempore quos paruo uelle uenire sciat)

Protinus accendi non est tibi dedecus ira,

Nec uolo te bilem dissimulare tuam.

Non impune tibi fallax illuserit hospes,

Vt uacuo expectans sederis ore diu.

Semper enim uentura tibi meliora putabas

Fercula, sed falsum turpiter esse uides.

Quid dubitas clara, ferri tibi, uoce iubere,

Inscriptum schedulæ quod legis esse tuæ?

Illa etenim toti facta est iniuria mensæ,

Nec tibi iam soli fraus ea structa fuit.

Pro reliquis etiam, licet id non iusserit ullus,

Te refer hospitibus talia uerba loqui.

Sic prius instructus tandem conuiuia adibis,

Expectata diu cum breuis hora uocat.

6 Mox ubi non procul est ad cœnam tempus eundi,

In te non aliquam conuenit esse moram.

Neglige uicinum, qui est inuitatus eodem,

Quippe uiam solus tu reperire potes.

Neglige cuncta domi, et properatis gressibus ito,

Neu sis postremus, primus adesse uelis.

7 Quàm primum irrueris alienas hospes in aedes,

Neglige de fausta multa salute loqui.

Sed pete fumantem pede non tardante culinam,

Quæq; coquant illic fercula lauta uide.

Nec

Nec mora quæ cupidis minuamur demibus escas  
 Posce dari, res est imperiosa famas. 66  
 Moxq; repleta vero spumanti pocula posce,  
 Sic falle ingrata tædia longa moræ.  
 Ut quando uenienæ reliqui, sis potus abunde,  
 Et facias lepido plurima uerba ioco.  
 Sic hilar em cuncti te dicent esse: meretur 66  
 Ebrietas nostro tempore laude uehi. 66  
 Cum fueris solus, nec adhuc uenire sodales,  
 Quid facias, monitus accipe mæne meos. 8  
 Incipe stentore a mox carmen amabile uoce,  
 Deq; bona uini laudibus illud erit.  
 Vox ea per totam sonet exaudita plateam,  
 Hæc faciet socios mox ut habere queas.  
 Nanq; ubi clamores arrectis auribus illos  
 Accipient, cœnæ tempus adesse sciens.  
 Protinus accurrent rebusq; domoq; relictis,  
 Et letis tecum memibus esse uolens.  
 Vel tibi si non est cordi properare uocato, 9  
 Ultimus extremo uisq; uenire loco:  
 Vsque maneto domi, donec te nuncius alter  
 Oret, ut ad cœnam letus adesse uelis.  
 Tunc dic uenurum, sed longo tempore differ,  
 Nec tandem nisi sis sepe rogatus eas.  
 Tota domus cœnam propter te differat unum,  
 Gloria nequaquam est hæc fugienda tibi.  
 Magnarum credent tibi magna negotia rerum  
 Esse data à magnis perficienda uiris.

DE MORVM SIMPLIC.

- 10 At si crediderint oneratum rebus agendis,  
 Teq; ideo nullo posse uenire modo:  
 Et coquus in patinam lautas iam miserit escas,  
 Quas uolet hospitibus fercula grata dari.  
 Forsan & in mensa famulus iam cuncta locarit,  
 Incipiantq; ipsas tangere quisque dapes.  
 Tuq; uides ueniens escas modò carpere cunctos,  
 Sessuroq; tibi uix superesse locum:  
 Obiurgandus erit tibi uerbis acribus hospes,  
 Se sciat ut magnum posthabuisse uirum.  
 Sentiatur ille tuam cunctis præsentiibus iram:  
 Non ignominia est tanta ferenda tibi.  
 Talibus ecquid erã uenerandus honoribus? inque,  
 Ecquid erat ratio talis habenda mei?  
 Sed sine me (quid enim mihi profuit esse uocatũ?)  
 Viuite, non uobis iam gratus hospes ero.  
 Ista loquens gestum tibi sume uolens abire,  
 Teq; tuam simula uelle redire domum.  
 Protinus occurret blandis sermonibus hospes,  
 Et supplex partes ille precantis aget.
- 21 Tunc ubi blandiloquo te multa rogauerit ore,  
 Placatus tandem discubiturus eas.  
 Tum reliqui assurgent ueniendi forsitan omnes,  
 Ut tibi cum magno detur honore locus.  
 Tu primam quasi sis dignissimus arripe sedem,  
 Quam tibi non digno nemo daturus erat.
- 22 At si non cernis ueniendi assurgere quenquam,  
 Sessuroq; tibi nullus habetur honos.

Tuq;



Tuq; aliquem superesse locum conspexeris ipse,

(Seruatur magno forsitan ille uiro)

Hunc tibi ne sedeas extremo sine capeffe,

Qui prior aduenit dignior ille fuit. cc

Serius adueniens malè considet, aut malè cœnat, cc

Dicitur: id uero uerius esse puta.

Per mensam pedibus scandens subtiliter ito, 13

Si tibi per scamnum cedere nemo uolet.

Cōmaculare luto mensam, mappamue, quadrasue,

Nil nocet, & culpa res caret illa sua.

Frangere uitra & calices, uino perfundito mensas,

Et cadat è proprio uersa patella loco.

Vel pedibus uestes macula per scamna sedentum,

Id fieri summo iure uidetur opus.

Cur etenim tibi nolebant hanc cedere sedem

Tum uacuam, & qua uix dignior alter erat?

Ergo quòd hoc mensam pacto macularis & ipsos,

Hæc sit in illorum culpa relata caput.

Antè lauare manus quàm sacræ accūbere mensæ, 14

Nescio quo multos more solere uides.

Frigida nil homini prodest è fontibus unda:

Sed cur non proffit causa ferenda mihi est.

Sæua reluctantur feruenti frigora cordi,

Principium uiui corda caloris habent.

Inq; manus uenium occulti ex corde meatus,

Per totum sparsi qui tibi corpus eunt.

Stultus in algentem digitos si miseris undam,

Tum manus in gelida frigida fiet aqua.

DE MORVM SIMPLIC.

Inde retrò curret paulatim in pectora frigus,  
Ab nimium cordi frigora dura nocent.

Frigora natiuos extringuunt seu a calores,  
Hoc homines multi iam periere modo.

Tam subeunda tibi sunt magna pericula uitæ,  
Frigus & à manibus cordis ad ima redit.

Hinc ubi iam multos in aqua te laueris annos,  
Adueniet propero tarda senectæ pede.

Illæ tuos quando uictrix inuasit artus,  
Deficient uitæ stamina rupta tuæ.

Has causas illi qui te mirabitur adfer,  
Quòd non pro solito more lauare uelis.

15 Sin uerò ad fueris præscripto tempore cœnæ,  
Conuiuasq; alios uelle lauare uides:

Primus in appositas reliquis cunctamibus undas  
Irrue, fœdatis primus inunge manus.

Quisquis ibi fuerit maiori dignus honore,  
Quid noceat post te quòd lauet ille manus?

Scilicet ipse etiam conuiuia ad illa uocatus,  
Et domino acceptus scilicet hospes eras.

16 Nec solum digitos, sed & os faciemq; lauabis,  
Nec tibi erit longas nectere turpe moras.

Cumq; satis longo lauisti tempore, & ipsam  
Conspicis immundam sufficienter aquam:

Tunc alijs cedas ut & ipsi utantur eadem,  
Totaq; cum manibus si libet ora lauent.

Tuq; tibi interea de prima prospice sede,  
Hinc te qui iubeat surgere nullus erit.

Et.

Et qualis iaceat positus circumspice panis,  
 Hic illo melior sæpius esse solet.  
 Est qui uel sacra superet nigredine terram,  
 Vestphalici talem uidimus esse soli.  
 Est alius diuersus ab hoc nitidissimus, illum  
 Sithonias credam uincere posse niues.  
 Hinc tibi dū reliqui cunctantur prospice cadutus,  
 Ne sit opus nigro pane fugare famem.  
 Surripias furtim tibi qui bonus esse uidetur,  
 Surreptumq; tuo callidus abde sinu.  
 Postea cum fuerit partes distractus in omnes  
 Panis, frumenti qui melioris erat:  
 Cogentur reliqui uilem quoq; sumere panem,  
 Si nondum fuerit dura leuata fames.  
 Tum tibi, non alijs poteris producere rursus,  
 In gremio furtim quem prius abdideras.  
 Viderit hoc aliquis factum laudabile, certè  
 Ille tuis censor moribus æquus erit.  
 Consilium prudens simul admirabitur, & te  
 Pectore non modicum dicet habere salis.  
 Et fortasse tuam quandoq; imitabitur artem,  
 Factus ab exemplo doctior ille tuo.

## CAPVT II.

Quos in edendo mores & gestus obser-  
 uare conuiuia debeat.

**F**ercula quàm primum mensæ imponentur o-  
 pima,  
 Tu rapidam patina primus imunge manum.

## DE MORVM SIMPLIC.

Quod tibi cunq; placet, rapias, ita diximus antè,  
Cur aliquid frustra me docuisse sinas?  
Omnia dicta tibi, quæ diximus antè, putato,  
Nil moueat quo sine singula dicta loco.  
2 Et quas cunq; dapes in mensam miserit hospes,  
Quantumuis gustus iudicet esse bonos:  
Inuenias aliquid quod culpes semper in illis,  
Quodq; uelis uerbis uituperare tuis.  
Hoc nimis est falsum, dices, nimis illud adustum,  
Hoc tibi acetosum, dulce sed illud erit.  
Idq; palàm iubeo clara te dicere uoce,  
Percipere ut facili quilibet aure queat.  
Sic etenim falso confundes ora pudore,  
Soliciti frustra per tua uerba coqui.  
Hac potes urbani nomen ratione mereri,  
Nomen id, ò felix quisquis habere potest,  
3 Quando tacent epulis intenti suauibus omnes,  
Non hominis tota uox sonat ulla domo.  
Plurima te lingua iubeo garrire loquaci,  
Illaq; quæ risum promercantur erunt.  
Non decet ad mensam mutis residere labellis,  
Omnibus in precio qui uolet esse, uirum.  
4 Indè uora semper, quantæ sunt corpore uires,  
Hoc ad symposium sine uocatus eras.  
Ingere multa uorax auidis sine more modoq;  
Faucibus, & largo uiscera tende cibo.  
5 Si calet esca nimis quam dextera misit in ora,  
Dissimula quantum dissimulare potes.

Et lapidi

Et lapidi permitte alios impingere eidem,  
 Ne solus damnum ludibriumq; feras.  
 Extrahere urentem rursus de faucibus escam, 6  
 Et patinæ extractam reddere fortè queas.  
 Non tamen hic ausim facinus te tale docere:  
 Ah pudet, ah nimium rusticitatis habet.  
 At tibi ne sit opus rursus comburere linguam, 7  
 Id fugies tali callidus arte malum.  
 Ore tuo calidas afflabis fortiter escas,  
 Spiritus ardorem temperat ille cibi.  
 Nullius est usus nimis insufflare modestè,  
 Quas etenim vires lenior aura ferat:  
 Flaturus totas uento distendito buccas,  
 Difficilis quasi sit buccina flanda tibi.  
 Hinc, uelut Aeolius mittit sua flamina carcer,  
 Collecta in calidos, flamina mitte cibos.  
 Magno cum sonitu prorumpant fortiter auræ,  
 Non secus ac flammam Sicelis Aethna uomit.  
 O mihi quàm placeas, si conuertaris ad illum, 8  
 Qui tibi uicinus contiguusq; sedet.  
 Illius in uultum uolo te spirare calorem,  
 Et calido totas spargere iure genas.  
 Protinus applaudent alij, factumq; probabunt,  
 Atq; iocum talem sepe uidere uolent.  
 Quòd comitatur herum, non fit sine laude, catel- 9  
 Delitium domini qui solet esse sui. (lus,  
 Tu quoq; uicinas conuiuia uocatus ad aedes,  
 Vsq; canem, dominum qui comitetur, habe.

DE MORVM SIMPLIC.

- Proximus ille tibi se amno confidat eodem,  
illi etiam è patinis optima quæq; dato.  
Quis conuiuia illum detrudere sedibus ausit?  
Nam dominum secum qui tueatur habet.
- 10 Dentibus exiguam iuuet indulgere quietem,  
Delitias faciat protinus ille tibi.  
Ora tibi exerta lambat bene pinguis lingua,  
In noua mergendas fercula deinde manus.
- 11 Atq; tuo pulices animalia iniqua catello,  
Qualibet arte potens insidijsq; cape.  
In medium profer captos, ut in orbe locati  
Crimine supplicium quod meruere luant.
- 12 Cum comedis, quantum potesingere faucibus unda,  
Ut bene distendas oris utrunq; latus.  
Non secus ac plenas distendit flamine buccas,  
Vtriculo carmen pastor agreste canens.
- 13 Nec decet in patina quicquam superessa relictum,  
Omnia uult uobis quæ dedit hospes edi.  
Rumpendi potius subeas discrimina uentris,  
Quàm super ex epulis uel minimum esse sinas.
- 14 Tum si non poteris stomacho transmittere tritum  
Dentibus, & longa est arida lingua siti:  
Oris adhuc plenis cavitatibus utere potu,  
Ut cibus in uentrem diffuat, ille facit.
- 15 In calicem tenues ex ore emittere micæ,  
Nil, a greste licet quis putet esse, nocet.  
Nam cur non liceat dapibus confundere potum?  
Illa hominum uitam sed bene iuncta fouent.

Ipsa iubet iungi potum natura cibumq;  
 Et res alterius altera poscit opem.  
 Ossaq; reliquiasq; & quæ tibi cunque uidentur 16  
 Esse tuæ lautæ non satis apta gulæ:  
 Abijce sub mensam, quò sint alimenta catellis,  
 His quoq; quo uiuant conuenit esse cibum.  
 Sed sua, gaudentes præda, dum prandia sument,  
 Non puto quòd pacis foedera sancta colent.  
 Prælia sub mensa uisu iucunda mouebunt,  
 Et sibi erit uisus quisque tulisse parum.  
 Forsan & arripient conuiuas mordicus ipsos,  
 Hic leuis in tantis motibus error erit.  
 Suauiter ista uidens risu quatiere, tumultus  
 Autor enim tanti causaq; solus eras.

## CAPVT III.

Qui mores post primum missum in mensa sint seruandi.

**C**VM bene de primo compleris uiscera missa,  
 Zona relaxari (diximus antè) potest. 1  
 Ventriculum pacto cibus hoc descendet in imum,  
 Et fieri melius coctio iusta potest.  
 Promptior accipiet noua deniq; fercula uenter,  
 Qui nimium uinclis antè ligatus erat.  
 Jamq; puer quadras pinguedine colliget unctas, 2  
 Ille nouis dapibus semper habetur honos.  
 Hic propera, & primus reliquis cunctantibus or  
 In patinam celeri conijce ritè manu. (ben  
 Cur

DE MORVM SIMPLIC.

Cur tamen hoc deceat, promptū est mihi dicere

Accipe, nō leuis est illa putāda tibi. (causam,

Si patiare uiros aliqua grauitate colendos,

Orbiculum primo deposuisse loco:

Inde tuum superiniicias (heu dedecus ingens)

Magnorum quadras opprimet ille uirūm.

» An miser ignoras quōd rustica turba potentum

» Sub pedibus semper pressa iacere solet?

Ergo tuam quadram quoq; ne uideare superbus,

Primus in illatam conijcies patinam.

5 Alterius quadram, quantouis dignus honore

Ille fuit, non sit tollere cura tibi.

Quisquis erit, quando sibi cunq; uidebitur, orbem

Conijcere in discum si uolet ipse potest.

4 Ast ubi reddentur quadræ pro more recentes,

Qui rapiat digitis tu quoq; primus eris.

Si puer in primis tibi non adiecerit ullam,

Nil uetat extensa corripuisse manu.

5 Matronas aliqui tanto dignantur honore,

Dent ut eis primas uirginibusq; quadras.

Tu caue ne faxis, si quid mea dogmata curas,

Siq; tibi saluum uis decus esse tuum.

Ipse hominum mores qui sint hoc tempore nosti,

» Utere presenti qui sapis ergo foro.

» Quæ facis accipiunt in partem cuncta sinistram,

» Proposito quanuis feceris illa bono.

Sic quoq; si fueris aliquo dignatus honore

Matronas celebres, uirgineumq; chorum:

Protinus.



Protinus à quibus id factum culpetur habebis,  
Cuncta latens hominum pectora uirus habent. cc

Nec facili credas laturos mente maritos,  
Quæ facis, attento lumine cuncta notant.

Accensumq; nouo te pectus amore putabunt,  
Officium ex illo fonte scaterere tuum.

Heu fuge Zelotypi bilemq; odiumq; mariti, cc  
Qui te suspectum nomine amoris habet. cc

Res mala suspitio est, rerumq; magistra malarum, cc  
Immeritis fraudem sæpe necemq; struit. cc

Parce tibi uitæq; tuæ, ne captus in ulla  
Infelix maneat suspitione diu.

Si post sublatos mora fit prolixior orbes, 6  
Nec cupido adfertur protinus esca recens;

Non patiere diu dentes uentremq; uacare,  
Si nondum fueris plenus, ut esse uoles.

Accipe de dapibus non segnis rursus eisdem,  
Iam manducatum de quibus antè fuit.

Hisq; perunge nouos reliquis cessantibus orbes,  
Et solus nullo iam comedente uora.

Scilicet in mensa non est pudor utilis ullus,  
Qui negat hoc, sanis sensibus ille caret.

Cùm fuerint tandem noua reddita fercula mensæ, 7  
In noua festinam fercula mitte manum.

Antè tamen mappa maculatam tergere quadram,  
Quamuis precij mappa sit illa, decet.

Scilicet hos mappis mensæ uelantur ob usus,  
Possit ut orbiculum tergere quisque suum.

Vtq;

DE MORVM SIMPLIC.

Utq; manus multa pinguedine ubiq; fluentes  
Mundare, & digitos oraq; tota queas.  
Hæc tibi dicta semel, semper repetenda memento,  
Cum nondum fuerit pulsa molesta fames.

- 8 Vel si præ reliquis non nil uenerandus haberis,  
Inq; tibi mensa primus habetur honos:  
Sic ut cogantur reliqui expectare morantem,  
In patina donec sit tua prima manus.  
Tunc epulas multo contingere tempore differ,  
Id maiestatem promouet usque tuam.  
Qua ratione notam fugias leuitatis ineptæ,  
Si mox conijcias fercula in ipsa manum?  
Fortè minore queas attingere cuncta periculo,  
Si non tam magno clarus honore fores.  
Non igitur nisi sis iterumq; iterumq; rogatus,  
Fercula protensa carpito lauta manu.
- 9 Interea tempus consumito multa loquendo,  
Vel cane, uel risum qualibet arte moue,  
Vel facias quadraludos, uel deniq; cultro,  
Sunt minuenda aliquo tædia longa modo.  
Dum facis hæc, spectent alij, quia tangere nemo  
Audiat appositas te remorante dapes.
- 10 Nec tibi turpe puta memento iam fulcra labantè  
Auxiliatrices supposuisse manus.  
Molliter in mensa cubito uel utroque, uel uno  
Nitere, res non est illa pudenda tibi.  
Si tamen hunc morem pulchrum non esse putabis,  
In gremio geminas ritè reconde manus.

Inde

Inde potes rursus depromere, quando uidetur  
Iam discerpenti tempus adesse cibi.

Quando epulas tandem fuerit tibi tangere uisum, 11

Optima quæ in disco uideris esse rape.

Carnibus assatos uitulinis eripe renes,

Hos reor ad stomachum posse quadrare tuum.

Sed de pisce lupo caudam laudare gulones,

De barbone caput dulce putare solent.

Primus es, illa tibi rapere est concessa potestas,

Protinus & quadra rapta locare tua.

Solus habe, solus retine, solusq; uorato,

Nec tibi uicini cura sit ulla tui.

Quòd sit culter hebes, damnum tibi ferre putabis, 12

Quòd facere officium non queat ille suum;

At uidi solitos duris illidere saxis,

Ne promptus nimis ad feracula cuncta foret:

Imò acies serræ faciem demesq; referret:

Nec caret hæc usu callida techna suo.

Nimirum assatus si quando apponitur anser,

Anser qui pingui uisitur esse cute.

Tunc te pelliculæ bona pars malè scissa sequetur,

Hanc in delitijs uulgus habere solet.

Præstat id officium culter serratus, & idem

Excusat, si quid criminis illud erit.

Commodius sumptas uenter quò digerat escas, 13

Pocula sune semper continuanda tibi.

Cumq; alius digitis bibiturus pocula sumpsit,

Tu pete, uix credo quòd neget ille tibi.

DE MORVM SIMPLIC.

- Si negat & sitiens prius exhaurire parabit,  
Tu rape vicini pocula ab ore tui.
- 14 Quæ simul ac nactus fueris, retinere memento,  
Quis nouit quando sint reditura tibi?  
Tunc licet & sitiant alij, moneamq; frequentes,  
Vt bibere atq; alijs tradere pocula uelis:  
Nil moueare tamen, sed tu sitientibus illis,  
Quando tibi uisum est, suauiter usque bibe.
- 15 Solus & altisonis imple clamoribus ædes,  
Pocula facundos reddere plena solent.  
Verberet hospitibus patulas uox nullius aures  
Quàm tua, nul alios dicere posse fines.  
Solut clamores, & pocula solus habeto,  
Et memores, satis ut sis in utroq; frequens.
- 16 Cumq; bibes, nares emungere, tergere labra,  
Res minor est quàm quæ sit facienda tibi.  
Cur tibi res aliquam creet ista leuicula curam?  
Non nisi permagnæ sit tibi cura rei.  
Omnia quæ uentrem spectare scies ad eundem,  
Cur detergendo dissociare uelis?  
Seu caro seu potus fuerit, seu panis adepsue,  
Per stomachum uadunt omnia, perq; gulam.
- 17 Sitamen omnino tergenda putaueris ora,  
Seruiat officio candida mappa tuo.  
Illa tui excipiat mox excrementa cerebri,  
Et mundet rostri pinguia labra tui.
- 18 Interula manicam quoq; protraxisse, quibusdam  
Atq; in ea nares tergere & ora, placet.

Talis

Talia si pulchrum sectari exempla uidetur,  
Non ego, qui licitum non putet illud, ero.

Pocula uicino, quamuis non postulet ille,

19

Propones, potu cum recreatus eris.

Ne tibi forte obstent edere optima quæq; uolenti,

Neu facians ne sit libera dextra tibi.

Inde queunt promptè recipi cum postulat usum,

Utq; mero fauces œsophagionq; riges.

Si tamen ex uicino eandem nouerit artem,

20

Ut tibi proponat pocula molesta sibi:

Tunc uel festiua te uoce sitire negato,

Atq; illi placida pocula redde manus.

Vel potius totas effunde furoris habenas,

Profer ex irato grandia uerba sono:

Cur mihi proponis tua pocula non sitienti?

Cur non illa eadem te magis ante locas?

An mihi rem gratam facturum te esse putasti,

Impediat nostram si scyphus ille manum?

His quoq; si uerbis conuitia turpia iunges,

Efficies ne quid postea tale feras.

Nulla tamen mora sit, potare subinde decorum est,

Temperat ex sumptos potio crebra cibos.

Cum reliqui cessant, cessantes gnauiter urge,

21

Sobrius ut coena surgere nemo queat.

Exemplum de te capiant, tu praeuius ibis,

Et primus reliquos ebrius inter eris.

Tum quoq; si quicquam deliqueris ebrietate,

Ignosci citius commodiusq; potest.

G

DE MORVM SIMPLIC.

CAPVT IIII.

De modestia edendi & bibendi.

**V**idi ego qui nolent (non est mos ille proban-  
dus)

Hospitis immunes tecta subire sui.

Quisq; igitur secum spumantia uina ferebant;

Optima iudicio uina putata suo.

Hic quod erat rapidi natū prope littora Rhēn;

Ille iugis genitum Francicā terra tuis.

Pannonijs alij sub collibus orta ferebant,

Quæq; alijs alio nata fuere loco.

**1** Quid mihi de tali uideatur more, requiris?

Non ego qui fieri talia laudet, ero.

Nulla feres, si me, parsurus sumptibus, audis;

Quæ tibi poturo uina det hospes, habet.

Si tamen ulla tuo fers consulturus honori;

Aere tibi nimio non ea stare uelim.

Quæq; uel in tota uilissima noueris urbe,

Conuiuis reliquis illa daturus, emas.

**2** Cum tamen in mensam ueniant quæ quisq; ferebat,

In primis quæ sint optima uina, uide.

Inde scyphum magnū, plenum post terga repones,

Postea tu solus cum libet inde bibes.

Nam ne non ad te redeant ea uina timendum est:

Hoc bene uitabis præueniesq; malum.

**3** Omnibus hinc reliquis ut latior esse puteris,

Plurima quæ risum promereantur age.

Incipe

Incipe præcelsa latissima cantica uoce,  
 Deq; tuo longum carmen amore refer.  
 Quatuor humores nostri sunt corporis, illos  
 Affectu uario corda ciere ferunt.  
 Ignauos, tristes, austeros, terrea bilis:  
 Ignea, commotos esse furore, facit.  
 Quid tibi multa leui et fatuo de phlegmate dicam?  
 Optimus est sanguis, lætitiæq; dator.  
 Ergo sanguineus cre daris ut esse, subinde  
 Cantillans uocem tolle per astra tuam.  
 De choreis loquitor, de uinis, deq; puellis,  
 Blanditias profer deliciasq; meras.  
 Si tibi de magno quisquam cratère propinat,  
 Cum bibit ille, calix mox rapiendus erit. 4  
 Nil referre puta, quòd nondum porrigit ille,  
 Et quòd adhuc illinc plus bibiturus erat.  
 Qui dedit absq; mora, est bis donauisse putandus,  
 Vicino dices, ni bibat ille, tuo.  
 Cum fueris tandem nactus cratèra bibendi,  
 Quos bene seruabis, tres tibi pono modos. 5  
 Cum te destituet malefidus anhelitus oris,  
 Cessandi primum tempus adesse putem.  
 Ni malis auram, Cyatho nec ab ore remoto,  
 Ducere, quod fieri non sine laude solet.  
 Inde oculos quando replet lachrymabilis humor,  
 Luminibusq; fluit plurima gutta tuis.  
 Hoc tibi cessandi signum queat esse secundum.  
 In uitio, si quis antè remittet, erit.

## DE MORVM SIMPLIC.

Tertia signa tibi quae sunt certissima pandam,  
Nescias nullo fallere posse modo.

Cum uacua exhausto iam pocula tota Lyeo  
Videris, à cupidis faucibus illa moue.

Non ego sum, uacuo qui de cratere bibendam,  
Pannonico ex auro sit licet ille, putet.

• Quiq; tibi est magno uacuatus cantharus haustu,  
In mediam mensam proijciendus erit:

Vt tuus aspiciat Bacchi uicinus inanem,

Vtq; eadem post te norit agenda sibi.

Ni facias, leuibus uideas certamina cauis  
Surgere, quae forti sunt dirimenda manu.

Non etenim credent te respondisse bibendo,

Ni uideant oculis pocula uersa suis.

7 Hinc epulis iterum manus iniiciatur opimis,

Atq; iterum è patinis optima quaeq; rape.

Quippe cibi dulces et Bacchi munera pascunt

Sumpta per alternas corpora nostrae uices.

8 Cumq; uoras, magnas facies è panibus offas,

Has sentire tuo scilicet ore potes.

Atq; auium pullis est esca terenda minutim,

Ne ledant teneram grandia frustra gulam.

Fortibus illa uiris metuenda pericula non sunt,

Qui crassum firmo tegmine guttur habent.

• Apposito frustum scindens de pane, caueto

scindere qua reliquos parte scidisse uides.

Sed latus oppositum cultro pete, dulcior illic

Forsitan uelli crusta resecta queat.

Inde



Inde tibi longas scindes bene prouidus offas,

10

Quas capias tota conineasq; manus.

Has in aromatici pinguedine tingere iuris,

Extremo saltem sine, decere putem.

Intinctumq; auido morsu praeerodere panem,

Ille gula ingratus non solet esse sapor.

Iamq; iterum morjas iterumq; intingere partes,

Non sine magno usu, non sine laude potes.

Ore loqui pleno, si rerum ita postulet usus,

11

Non ueto: quin potius suasor & autor ero.

Res habet illa suum, facias modo saepius, usum,

Certior exemplo, quid iuuet, esse potes.

Eloquium toto notum est Demosthenis orbe,

Gloria Cecropij qui fuit una soli.

Illius astrictam retinebam uincula linguam,

Verba foro posset quò minus apta loqui.

Ergo animum uarias celerem uertebat ad artes,

Vincula quò linguae solueret ille suae.

Saxa loquens blando prudenter in ore rotabat

Paruula, ad insani littora curua freti.

Pugna uiro duplex: linguae retinacula contra,

Quod uoluit, bellum paruula saxa gerunt.

Promptius ut saxis aliquando ex ore remotis,

Sensa animi posset libera lingua loqui.

At strepitus contra uocem intendebar & aestus,

Quaeq; sonant rabido murmura clara mari.

Disceret ut populi clamantis ferre tumultus,

Concio clamoso si sit habenda foro.

## DE MORVM SIMPLIC.

Non ita stultus eris: tu commodioribus uti  
Artibus, admonitus per mea iussa potes.

Pro rigidis carnem uolens panemq; lapillis,  
Institues pleno quælibet ore loqui.

Atq; tuo strepitu clamores uince bibentum,  
Murmura feruentis uicit ut ille freti.

12 Cumq; ferè satur es, reliquorum attendito mores,  
Non isti poteris amè uacare rei.

Excipitoq; leui dicta & facta omnia risu,  
Dissona si qua tuis moribus esse uides.

Carpe libens quæcunq; potes, pete scõmabe cum-  
Aut etiam ficto crimine quenq; graua. (Etos,

13 Alterius culter iaceat si fortè supinus,  
Et cœlos acies spectet, & astra poli.

Huic illide tui ferrata manubria cultri,  
Dignus erit magnis risibus ille iocus.

Quidã in eo numerat quot passibus inclyta Roma  
Distet abhinc, & tot uerbera congeminant.

Hunc equidẽ morem non improbo, tu quoq; eundẽ  
Rite sequens plausu laudeq; dignus eris.

Nõ tamen, erga alios licet hunc seruare sit equũ,  
Ut facias eadem tu mihi, suasor ero.

Forsan enim grates alioquin ipse rependam,  
Et quæ sint meritis præmia digna tuis.

## CAPVT V.

De Voracitate, Risu, Vomitu in mensa,  
& de alijs Ciuilitatibus.

Plurima

**P**lurima sunt quæ te possint cõvincere dgre  
In cœna, et mores nõ didicisse graues. (stē

Cura sed immensos secum trahat illa labores,

Singula si mihi sint hoc recitanda loco.

Non mihi Nasonis si sine in carmina uires,

Omnia pro merito commemorare queam.

Pauca tamen (quamuis me iam sis doctior ipso)

Que facias, ista parte docere libet.

Nec te pœniteat mihi tempora pauca dedisse,

Fortè ferant ingens tempora pauca lucrum.

Disce puer mores ex me, iuuenesq; uiriq;

Discite, non tardis passibus hora fugit.

Plena per instructas euertere pocula mensas,

Omnia quò Bacchi mersa liquore fluant:

Obtinuit longe iam consuetudinis usus,

Atq; ideo nullum crimen habere potest.

Vidi etiam quando leti uoluere uideri

Iam iuuenes, animos exhilarante mero,

Quòd leuiter peterent incautos pane sodales,

Carneq; quam plena corripuerit manu.

Talibus exhilarant iuuenilia pectora ludis,

Quoq; suam possint fallere tempus, habent.

Vidi eadem simili nuper ratione patrones

Maturos annis consilioq; senes.

Quid faciant iuuenes, cum talia grandior etas,

Turpia symposijs non potest esse suis.

Non equidem senibus lege temerarius ausim

Dicere: sponte senes quod decet illud agunt.

## DE MORVM SIMPLIC.

Vos pueri & iuuenes inter conuiuia, gestus

Qui deceant, ex me discite, quiq; minus.

• Panis habet duplicem, res est notissima, crustam,

Alteraq; ex illis purior esse solet.

Inferior cinere est et tosta plena farina,

Hec nihil optati crusta saporis habet.

Que te igitur moneo, tu mente notata fideli

Exequere, et prudens esse serêris homo.

Scinde tibi totis de panibus undiq; crustam,

Quam cinere et nigra labe carere uides.

Dicitur illa etiam prohibere à fluctibus aluum,

Et nimium laxi sistere uentris opus.

Si tamen hanc solam descindere fortè uetabit

(Quem tibi nò magnum conuenit esse) pudor,

Legitimoq; uoles panem de more secare,

Corticis ut pariter partem utriusq; seras:

Non ueto: sed nostris si præbes uersibus aures,

Qui tibi erunt certi facta ad honesta duces:

Cuncta simul nulla defecta parte uorabis,

Et cinerem & panem quicquid adheret edes.

Ingluuiem cineres quoq; cum carbonibus explèt.

Omnia que pani defecuisse nocet.

•• Vectigal siquidem est egris mortalibus ingens,

•• Non malè quesitis parcere posse bonis.

Si tamen hoc nolis, propria quòd parta labore

Non comedas, alio fercula dante tibi.

•• Quid dubitas? facile est aliena uiuere quadra,

•• Prodigus hoc pacto quilibet esse potest.

Si

Si quid habet sordis panis, quod ledere dentes,  
 Aut sapidum lingue non satis esse queat:  
 Mox rescindo bonam crassocum cortice partem,  
 Illa dari canibus præda resecta potest.  
 Istibus aut crebris reseca, cultroq; reducto,  
 Dissiliant crustæ frustra minuta procul.  
 Insiliamq; oculis uicina in parte sedentum,  
 Scilicet hoc paræ non erit artis opus.  
 Sæpe natans epulas cõmendat Amygdala dulcis, 4  
 Zaccharaq; Attæis amula facta fauis,  
 Lance uel in summa butyri nobilis humor  
 Visitur, aut durum quæ tulit uua pedem.  
 Aut aliud lautas per se, quod condiat escas,  
 In patinis summo iure natare solet.  
 Hæc ego conspiciens discum conuerro per omnem,  
 Sic mea me genitrix sueta docere fuit.  
 Inq; auidum mitto suauissima pemmatæ uentrem,  
 Nec tamen hinc unquam damna uel ulla tuli,  
 Si nihil hos credes mores tibi posse nocere,  
 Exemplum docilis sæpe imitare meum.  
 Accidit interdum sumptis cum carnibus ossa 5  
 Non bene in incautam missa fuisse gulam:  
 Illa solent motos gingiua elidere dentes,  
 Aut patulum obstructæ claudere faucis iter.  
 Quid facis? an nondum tanto obuius ire periclo  
 Incipis? an uitæ non tibi cura tuæ est?  
 Pande tui rictum labijs cedentibus oris,  
 Ausfer & inserta, quæ nocere, manu.

DE MORVM SIMPLIC.

Aut super appositum diductis dentibus orbem,  
Leniter è medijs faucibus ossa cadant.  
Vituperent alij, sed te fecisse necesse est,  
Qui nocet, ab non est utilis ille pudor.  
Nunc etiam quando sumpta recreatus es esca,  
Arripe porrecta pocula plena manu.  
Pocula quæ sumes aperiri, teq; ante locato,  
Hæc quoq; res aliquid cur celebretur habet.  
Nam vapor ex illis exhalat inutilis omnis,  
Qui poterat cerebro durus obesse tuo.  
Inde super Cyathum suprema parte patensem,  
Plurima quid noceat uerba subinde loqui?  
Forsitan obtineas faciens ut pocula nemo  
Appetat, & solus quæ placere bibas.  
Incipe nunc hilari testari gaudia fronte,  
Gaudia quæ tacito pectore clausa tegis.  
Mens hilaris multo gaudet se prodere risu,  
(Nil hilari melius pectore mundus habet)  
Ergo perpetuò risu semperq; studebis,  
Siue labris sumes pocula, siue dapes.  
Sæpe ita ridebis, quò pleno ex ore resultena  
In patinam sumpti frustula multa cibi.  
Exiliant potius, quàm dura illapsa Tracheæ  
Aëris obturent ingrediens iter.  
Certior ad subitam uix est tibi senita mortem,  
Claudere quàm attracto guttur inane cibo.  
Sed propè tēpus adest sumptæ post fercula cœnæ,  
Quo famulus mensas exonerare uolet.

Sig.

Siq; famem nondum placato uenire fugasti,  
 iam properans tardæ damna repende mora.  
 Visceraq; ingesto reple potuq; ciboq;  
 Dum licet, haud semper copia talis erit.  
 Sic bibe, sic cœna, simul ut potusq; saturq;  
 Effictare, quies nulla sit amè tibi.  
 Et si singultus tum cœperis edere crebros,  
 Non dubia hæc uomitum signa præire solent.  
 Nil nouitate rei turbêre, nec esse putato  
 Turpe, sed obstantes surgere coge tibi.  
 Eijce, digressus paulum, quodcunq; grauabat,  
 Ad mensam ablutis dentibus inde redi.  
 Cumq; reuersus eris, uentrem iam denuo reple.  
 Vt noua iam uacuum repleat esca locum.  
 Non bene ferre potest rerum natura creatrix,  
 Corpore, sub cœlo, qui uacet esse locum.  
 At si non poteris uomiturus surgere cœna,  
 Sub mensam lepidum protinus abde caput.  
 Hic stomachus reddat quantum uolet absq; pudore,  
 Id gratum caribus lingere munus erit.  
 Quid moror? in medias audacter proiece mensas,  
 Quod tibi uentriculum triste grauabit onus.  
 Nullus erit, uel in ipsa uomas si fercula, dignum  
 Qui uenia facinus non putet esse tuum.  
 Nec uomitus illi turpes posse esse uidentur,  
 Cui laudem ingluuies ebrietasq; parit.  
 Immo etiam multis nullus conuiuia probatur,  
 Quin potum certis se probet esse notis.

## DE MORVM SIMPLIC.

Omne feres igitur punctum, si tempore cenæ  
Ebrius, ex nimia sedulitate uomas.

Hospitibus gratum facies dominoq; uocanti,  
Symposiq; decus totius unus eris.

Quippe tuo uomitu bona uina fuisse probabis,  
Quæ dedit hospitibus qui dedit illa suis.

Materiam quoq; de qua mane loquamur habe-  
Et tu potores nobilis inter eris. (bunt)

## CAPVT VI.

De lotione manuum à cenâ, de mensis  
secundis, & quid apud uirgines de-  
ceat.

**P**ostquam epulis exempta fames, mappæq; re-  
mote,

Pura ad tingendas ponitur unda manus:

Pigritia est uitium: ne sis piger, arripe peluim

Primus, et hac palmas primus utraq; laua.

Hinc os et faciem, quanto tibi tempore uisum est,

Et nares large rore rigabis aque.

Inde lauaturis concede sodalibus undam,

Quæ satis est manibus sordida facta tuis.

Et post te matrona lauet, quantumlibet illa

Clara sit, et post te uirgo colenda lauet.

Pura tuas sordes feliciter abluet unda,

Quam quæ iam multa est sordida facta manu.

Inuenias adco quosdam tamen esse modestos,

Vi nullam tangam ni iubeamur aquam.

Vel



Vel certè expectent, donec reliqui prius omnes  
 Abluerint, ut se deinde lauare queant.  
 Hos tu conspiciens securos nūq; timentes,  
 Affuso liquida fonte rigabis aquas.  
 In faciemq; haustum manibus de fonte liquorem,  
 Inq; oculos sparges largiter, inq; caput.  
 Id precium nimio meruisse pudore uidentur,  
 Idq; sua stulti proprietate ferant.  
 Nuper id in coetu quidem tentabat honesto,  
 Sed misero coeptum non bene cessit opus.  
 Nanq; ubi matronas perfundere rore parabat,  
 Foeminea tulit id praeueniente manus.  
 Lumina uix poterant undis oppleta tueri,  
 Barbaq; suffusis tota fluebat aquis.  
 Ah pudet, & uictum succumbere poenitet, ergo  
 Concipit ingenti pectore maius opus.  
 Malluuium digitis correptum uertit, & undas  
 Fortiter in medium dissipat ille gregem.  
 Tum uerò exoritur risusq; iocusq; sedentium,  
 Et plaudunt manibus foemina uirq; suis.  
 Est quoq; cum nemo palmas intingere primus  
 Sustinet, atq; alium quisque lauare iubet.  
 Haec morum grauitas conuiuio addit honorem,  
 Pompa decet magni nominis illa uiros.  
 Tu nimis illa diu differri balnea cernens,  
 Materiam solida laudis adeptus eris.  
 Mox, si quidem nemo digitos putat esse lauandos,  
 E medio tolli praecipe rursum aquam,

Nanq;

DE MORVM SIMPLIC.

Nanq; quid incassum fluuiatilis occupet unda,  
Qui proprius uino debuit esse, locum?

4 Pennata iam uenient mensis allata secundis,  
Tu celer hoc, ne sis fortè secundus, ages.

Optima quæque potes bellaria sumere primus,  
Ultimus in patina, deteriora feres.

5 Verte tuo arbitrio patinas, & singula uerte,  
Quæq; tibi arrident absq; pudore rape.

6 Omnibus esse putas naturam rebus eandem?

7 Falleris, hæc illa plus bonitatis habet.

Indita nec frustra rerum discrimina nostris

Nec sine consilio, mentibus esse putem.

Sed magis ingentes rerum pater altus obusum,

Contulit hæc hominum munera magna gregi.

Scilicet ut possit discernere quisq; quid ipsi

Conueniat, uel quæ non placitura putet.

8 Vtere iudicio (nihil imprudenter agendum est)

Et citus è patinis optima quæque rape.

9 Nil opus est pomis abscindere uelle putamen,

10 Cur quid agas, quod non esse necesse putes?

Et stomachū, melius sumptas quò cōcoquat escas,

Cortice cum uiridi poma comesta iuuant.

Siq; diu fueris purgando cuncta moratus,

Interea arboreæ diripientur opes.

Cumq; uoles iterum patinis immittere palmas,

Nil tibi quod palmis diripiatur erit.

Dum superesse uides aliquid, cessare caueo,

Non poteris tales semper habere cibos.

Fercula

Fercula de mensa nec conuenit illa remitti,  
 Nanq; suas sperni crederet hospes opes.  
 P̄mata nec dederat rursum quæ tolleret hospes,  
 Sed posita ut saltem quisque uoraret, erant.  
 Quòd si cùm satur es bellaria lauta supersunt, 7  
 Illa potes manica condita ferre domum.  
 Si tibi sunt nati, genitor gratissimus illis,  
 Hac uenies, tecum munera grata ferens.  
 Sin minus: ipse domi quæ tecum rapta tulisti  
 Visceribus mittes fercula lauta tuis.  
 Deme nuces aperi, nisi mauis frangere cultrum, 8  
 Damnaq; prudemi non patienda pati.  
 Vidi homines uno pugnis qui grandibus ictu  
 Impositas mensæ comminuerunt nuces:  
 Cuncta resultabant per totas pocula mensas,  
 Multaq; fracta suum non tenuere merum.  
 Horum ego tum uires hominum mirabar, et illos  
 Eximie fortes rebar habere manus.  
 Qui pedibus possent calcatas frangere uidi:  
 Nucleus ut dura colligeretur humo. (tro,  
 Quos tibi cunq; libet sequitor, modò parcere cul-  
 Triste aliquod damnum ne ferat ille, queas.  
 Vicinumq; tuum cortex est ante locandus, 9  
 Nec dolus ille sua commoditate caret.  
 Hac ratione tuo quia succurretur honori,  
 Machinaq; ingluuiem conteget illa tuam.  
 Nanq; uorax alijs minus esse uideberis hospes,  
 Et cupida leges dicere posse gula,

Forseti

DE MORVM SIMPLIC.

- 20 Forsan et occurrent tibi, fortiter inter edendum,  
Que uideas stomacho non placitura tuo.  
Sive sit infectum foeda putredine malum,  
Seu pyra uermiculis peruia, sive nuces.  
Protinus illa tuo uicino porrigere amice,  
Fallor? an haec alio doctus es ante loco?  
21 His epulis quando factum satis esse putabis,  
Incipies alio letior esse modo.  
Tum si forte tuo lateri sit proxima uirgo,  
Virgo uerecundo lumine blanda tuens:  
Multa proteruis agēs, et multa loquere proter-  
Ludus enim aetati conuenit ille tuae. (uus)  
Nec melius quicquam te commendare puellis  
Credito, quam semper uerba iocosa loqui.  
22 Tange etiam partes quas gaudet foemina tangi,  
Inq; sinu tepido uirginis abde manus.  
Tange puellares digito petulante papillas,  
Blandaq; uirgineis oscula fige genis.  
23 Quod si gemma tibi digitos exornat, et aurum,  
Aut torques collum circuit unca tuum.  
Aut si fila tuam praetexunt serica uestem,  
Si quid erit quo te posse placere putes.  
Id quocunq; modo potes ostentare, subinde  
Ostentes, mire complacere asq; tibi.  
Illa tui magno mox corripietur amore.  
Et tua perpetuo scilicet esse uolet.  
24 Splendidiore leues capiuntur ueste puellae,  
25 Virgineusq; auro conciliatur amor.

Tu quoq; nonnunquam gemitu fatearis amorem, 14  
Et loquitor nutu pectoris ima tui.

Vtq; sui uero te uorit amore teneri,  
Virgineum duro clam pede tange pedem.

Sepe propinabis temerè non parua puella 15  
Pocula, quæ magni pignus amoris erunt.

Inde uel inuitam tibi respondere bibendo,  
Coge minis: certè gratas amator eris.

Summa sit ista: tibi sit nulla modestia curæ, 16  
Et tibi quod pulchrum cunq; uidetur, agas.

Ebrietas facinus quodcunq; excusat, et inter  
Pocula quantumuis turpia facta decent.

## CAPVT VII.

De clamoribus & tumultibus à cœna: de  
digressu, & de pactione crastinæ cœ-  
næ.

**S**ed quid ages, quando tenera cum Virgine ma-

Fida suæ repetit notaq; tecta domus? (ter  
Est alia tempus tibi iam ratione terendum,

Ne tibi symposium tædia longa ferat.

Ergo aliquis tacito fuerit sermone loquutus, 17

Tecta q; uicino dixerit ulla suo:

Tu patulas aures submissis arrige dictis,

Vt clam quæ loquitur uerba notare queas.

Forsan enim de te, quæ pauca loquatur habebit,

Quæ potes aduentu rumpere uerba tuo.

Quicquid erit, turbes, quid enim sua murmura ce-

Deq; suis inter pocula rebus agunt? (lam?

H

DE MORVM SIMPLIC.

- 2 Deniq; quicquid agent alij, quaecunq; loquentur,  
His ego te mixtim semper adesse uelim.  
Inuenias semper quod agas in rebus eisdem,  
Et quæ uerba queas non sine laude loqui.  
3 Vel si nullus erit qui grandia uerba loquatur,  
Tu poteris solus grandia uerba loqui.  
Stentoreos solus magnum clamore tonabis,  
Possit ut exemplum quiq; uidere tuum.  
Non tibi defuerint quæ possunt plurima dici,  
Si modò facundis uocibus esse uelis.  
4 Prolixa est series absenum rodere uitam,  
Hoc opus ebrietas non sinit esse scelus.  
Si tamen hæc turpis tibi consuetudo placebit,  
Vix ego discipulum te rear esse meum.  
Et puto quòd possis sceleratos inter haberi,  
Quos procul à nostro conuenit ire libro.  
5 Vel tua transacta petulantia facta iuuenta,  
Et scelera et clara crimina uoce refer.  
Inuenias multos captare hoc nomine laudem,  
Vita quòd ipsorum flagitiosa fuit. (ullus)  
6 Sin pudet hoc (quanquam te uix pudor addeceat  
Accipe quo mora sit longa terenda modo.  
Grandia de minimis moueas certamina rebus,  
Si modò qui tecum disputet ullus erit.  
Quod tibi dogma placet magno clamore tuere,  
Inferior causa es, uoce supremus eris.  
Vtere uoce tua, ne præ clamoribus istis  
Exaudire aliquis uerba sua ipse queat.

A quo-

LIBER SECVNDVS.

A quoquam monitus lingua moderatius uti,  
Vtq; loqui saltem uerba minora uelis:  
Fortius emittes claram de gutture uocem.  
Liber es, et certè libera lingua tua est.  
Semper item (quamuis quæ sunt falsissima dicas)  
Propositum firma mentee tuere tuum.  
Cede manus uictas nulli, succumbito nulli.  
Te præter nullum uersa fatere loqui.  
At tibi si nolet tuus aduersarius usquam  
Cedere, iudicio stare uoletq; suo:  
Hanc ignominiam non arbitror esse ferendam.  
Si uir es, horrendas audiat ille minas.  
Iratu mensa surges, iratu abibis,  
Nec dices cuiquam cum fugis inde, Vale.  
Scilicet incuties hac omnibus arte timorem,  
Vt te uictorem semper abire sinant.  
Vel quæ non poteris clamosa uoce tueri,  
Pugnaci tibi sunt illa tuenda manu.  
Educto gladio maiorq; minorq; probetur,  
Et dubijs fiat dura per arma fides.  
Argumenta potest ensis quoq; soluere strictus.  
Quæq; uolans tota pocula iacta domo.  
Si nil tale libet, nec sunt tamen ocia cordi,  
Ocia symposio non satis apta putem.  
Symbolon educto mensis incidito cuitro,  
Exprimat aut nomen litera scripta tuum.  
Sic memori te nulla dies unquam eximet æuo,  
Teq; scient illo quisq; fuisse loco.

DE MORVM SIMPLIC.

Vel pinge arrecto turpem carbone figuram,  
ingenij signum grande sit illa tui.

11 Nec tamen interea studium cadat omne bibendi,  
sed pede festino progrediatur opus.

Pocula cum bibulo uacuasti gutture, quae mox  
Tradere uicino te iubet ordo tuo:

Amè manu tota circum deterge decenter,  
Qua tibi sunt labijs pocula tacta tuis.

Namq; manus certè foedato mundior ore est,  
Saepe in pura quippe lauatur aqua.

12 Saepè etiam spumae nubes supereminet, illam  
Discuties digitis prouidus amè tuis.

Inde uel ipse bibes quantum tibi cunq; libebit,  
Vel modò uicino pocula plena dabis.

Inq; oculos raptam uicini mittere spumam  
si libet, haud equidem, qui uetet illud, ero.

Proficies aliquid certè, risumq; mouebis  
Omnibus, aut ira qui moueatur, erit.

Insufflant aliqui plenis spiramine buccis  
Pocula, nec ratio displicet illa mihi.

Pestiferum renouant stridentes aëra ueni,  
Quando cernit toto praelia dura Polo.

Et tuus inflati purgabit anhelitus oris  
Quod tua non deceat pocula, si quid erit.

Dumq; animam Cyathis inflas, simul inijce sputū,  
Quid magis hoc facto te decuisse queat?

13 Strenua cum fuerit potatio, fortiter uno  
Quae uenimus haustu pocula cuncta bibe.

Peccatum



Peccatum est etenim fieri per plura, quod uno  
Absolui poterat commodiore modo.

Rursus & epotum te coram ponere vitrum  
Impletum uino rursus ubi illud erit:

Atq; propinanti bis respondere licebit,  
Id quoque damna tibi non ita magna dabit.

Nam citius potus fies, citiusq; redibis  
Insana titubans ebrietate domum.

Ire domum nunquam libeat, quin hora secunda  
Iam mediam noctem præterisse notet.

Et licet obserues, dormire quod expetat hospes,  
Nequaquam tamen ut dormiat ille sinas.

Imò etiam si te per sacra Deosq; rogarit,  
Digneris tandem potus abire, nega.

Iam quoq; si quenquam dormitum abuisse rescisses, 19  
Quòd uino uictas cesserit ille manus:

Protinus è lecto conuiuia in ipsa reduces  
Inuitum, nudo sit licet ille pede.

Tum primum incipies Bacchi gustare liquorem,  
Atq; mero sensus exhilarare tuos.

Pocula iam demum franges, frangesq; fenestras,  
Sic quod postridiè persoluatur erit.

Hinc tua ut in fractis ponatur imago fenestris 16  
Effice, nobiles mos placet ille uiris.

Sic tua qui vitris in scripta insignia cernet,  
Nobiles genitum te quoq; credet auis.

Scamna per & mensas saltabis fortiter, imò 17  
Omnia robusta uertito scamna manu.

H S

DE MORVM SIMPLIC.

Deniq; disiectis fornacem frangito scamnis,  
Ame tibi gratum non sit ebire domum.

15 Hoc tamen in primis uolo te meminisse, priusquã  
inde tui repetas frigida tecta laris.

Fœdera cum potis noua cautus inibis amicis,  
Fœdera uisceribus nil nocitura tuis.

A quibus ad cenam cras inuitêris opimam,  
Nec te uenturum, quando uocâre, nega.

His ego non nunquam quoq; callidus artibus usus,  
Ad non speratas aduocor ipse dapes.

Quando tuus tandem uiuemus in edibus? inquam,  
Quando erit ut nobis sit tua aperta domus?

Proimus ille mihi dicit cogente pudore,  
Tempore quo libitum sit tibi cunq; ueni.

Si tibi sic uisum est, uenias cras tempore cœne,  
Pro tibi erit cœnis parata meo.

Mox me polliceor uenturum, & deiero sanctè,  
Me bene promissam fallere nolle fidem.

Hos sequitor mores, & sæpe uocaberis hospes,  
Sic potes ad lautas sæpe uenire dapes.

19 Ate tamen si quis quoq; te temârît eadem,  
Promittes temerè me monitore nihil.

Esse uocaturum, cum debeat ille uenire,  
Dicito, sed fieri iam bene posse, nega.

Publica iam mihi sunt commissa negotia, & illis  
Implicitus multis fortè diebus ero.

Vel reser uxorem iam non satis esse paratam,  
Quod cubet egroto morbida facta toro.

Iamq;

Jamq; Machaonia spectatus in arte Galenus,  
 Supposuit medica clysmata lenia manu.  
 Et modò laxata non se griter egerit aluo,  
 Spero breui sanam ceu fuit antè fore.  
 Post ubi erit uisum mihi, teq; aliosq; uocabo,  
 Exhilaraturus pectora uestra mero.

## CAPVT VIII.

Quomodo à cena ebrius se domum cō  
 ferat, quid in uia & domi tumultuum  
 ante somnum excitet, et quomodo se  
 postridie gerat.

**O**mnibus ex animi uoto sic ordine gestis,  
 Incipe congeminans iubila, abire domū.  
 Nil opus est isthic hominum ualedicere cuiquam,  
 Nec grates uerbis reddere uelle diu.  
 Scilicet inuitum retinere diutius hospes,  
 Si bene te potum senserit, ire uolet.  
 Nec precio quæras quanto potaueris, illud  
 Manè potest hospes commemorare tibi.  
 Si quid habere uolet, te deinde uel ipse monebit,  
 Tu reticens tugurî tecta subito tui.  
 Horrisonoq; omnes turba clamore plateas,  
 Ut te conuiuam quisq; fuisse sciat.  
 Vicinum patitor nullum dormire, sed omnes  
 Ob strepitum facias euigilare tuum.  
 Huic maledic, illum petulanter ad arma lacesse,  
 Si mqdò quid toto pectore cordis habes.

## DE MORVM SIMPLIC.

Offensas ueteres, ueteresq; ab origine rixas

Cura sit ut renoues, cum bene potus eris.

4 Cum ueniet tandē, ut tua uerba superba retūdat,  
Mox tibi festina est arripienda fuga.

Ne nimis incidat magno tibi uulnere uenam,

Ex illo in dubium uita uenire queat,

Deliquiumq; animi, uena cum sanguis aperta

Elicitur, raro non solet inde sequi.

5 Non ego uituperem sera qui nocte fenestras

Vt minuant, saxis stipitibusue petunt.

Tu quoq; nonnunquam facies ea, nanq; bibaci

Ebrietas homini cuncta licere facit.

Nec tamen hoc facinus committere sobrius ausis,

Qui facit à nostro sit procul ille libro.

Talia si patrans uigiles exciueris urbis,

Qui te concludant carcere, magnus eris.

Tutus ab insidijs inimici in carcere deges,

Et tuus hunc hostis nolet adire locum.

Igniuomi deges illic quoq; solis ab aestu

Liber, et à pluua Sithoniāue niue.

6 At si tam fueris felix ut nemo sequatur,

Nec tua te quisquam facta patrare uetet:

Tandem ubi fecisti mala plurima, perq; plateas

Omnia turbasti iam satis, ito domum.

7 Ianua nunc quanto tua sit pulsanda tumultu,

Accipe, quo coniunx excipienda modo.

Principio tanto pulsare fragore memento,

Vt tonitru quisquis percipit esse putet.

Nec

Nec requies, donec pulsando fracta fatiscat  
Ianua, pulsanti quæ tibi dura fuit.  
Tum si fortè tibi uenienti occurrerit uxor,  
Ut reserat clausas officiosas fores:  
Excipiatq; suum blando sermone maritum,  
Quem plenum multo sentiet esse mero:  
Huic tu sublata colaphos impingito dextra,  
Nec quicquam pugnos non meruisse iuuet:  
Verbaq; uerberibus superingere grandia duris,  
Discat ut ad nutus esse parata tuos.  
Nux, a finus, mulier, cum tristia uerba cessant,  
Nil faciunt rectè, mobile uulgus ait.  
Ergo tua ut rectè faciat, quæ precipis, uxor,  
Nimirum plagis erudienda uenit.  
Mos tamen immanes magis ille decere Cyclopas,  
Barbara quos aluit Sicelis ora, queat.  
Qui malè consortem thalami, nil tale merentem  
Tractat, ex hoc fortis iudicat esse uiri:  
Hunc ego præscriptas à me transcendere metas,  
Inq; scelestorum partibus esse putem.  
Non ibis cubitum, quin te ueniente resurgat  
A uix incepto tota sopore domus.  
Acribus hic uerbis erit obiurgandus, at ille  
Verberibus sæuis accipiendus erit.  
Quicquid in immenso peccauit quilibet anno,  
Cum fueris potus, cui libet obijcies.  
Ut te ceu dominū timeant, uenerentur, honorent,  
Et uerbum trepidant oris ad omne tui.

DE MORVM SIMPLIC.

- 10 Inde tua in dulcem declines lumina somnum,  
Quando tibi est adeo res bene gesta domi.  
Quamq; uoles longo securus tempore stertes,  
Sic tamen ut lectus præmia digna ferat.  
Ne famula desit, quod ei sit manè lauandum,  
Mercedem gratis ne ferat illa suam.
- 11 Atq; ubi iam tepidis è plumis manè resurges,  
Phœbo per medias axis eunee uias:  
Poculaq; ingesti fuerint concocta liquoris,  
Sumpta tibi hesternæ pocula plena die.  
Mox repetes fidos quos noras antè sodales,  
Dum ueniunt uacua prandia danda gula.  
Interea uario tempus sermone teretis:  
(Crapula per lepidos discutienda iocos.)  
Tu quoq; cunctorum quò promerere fauorem,  
Ingenij uires experiere tui.  
Cuncta memor repetes hesternæ gesta dici,  
Quæq; apud insanum dicta fuisse morum.  
Si nimia turpes aliqui ebrietate fuerint,  
Maneq; dedecoris non meminere sui:  
Tu quoniam fido sub pectore cuncta notasti,  
Ilicet in lucem cuncta referre uelis.  
Quæ repetens multis risum, sed pluribus iram,  
Ut uariant animi sæpe, mouere potes.
- 12 Nec tibi turpe putes inter iactare sodales,  
Hauferis à sumpto pocula quanta cibo.  
Quodq; domum nimia caput ebrietate grauatum,  
Vix fuerint apti nocte referre pedes.

Nec

Nec tamen impunes alios abijsse sed omnes  
 In tua dic uictas iura dedisse manus.  
 Victoriq; tibi palmam cessisse bibendi,  
 Quid dubitas? magnum laus ea pondus habet.  
 Aut media surgens somno iam luce, uel antè,  
 Mox tibi quod comedas quaerito, quodq; bibas.  
 Antè tamen uinum potabis cautus adustum,  
 Inde fugit capitis diluiturq; dolor.  
 Hoc poto, sumptoq; cibo requiesce parumper,  
 Prandia dum coniuinx sedula lauta paret.  
 Tunc tibi de grata surgendi erit hora quiete,  
 Ut recrees sumpta corpus inane dape.  
 Appositisq; tibi dapibus, Benedicite, coniuinx  
 Foeminei moris quod solet esse, leget.  
 Quamq; insanus heri fueris, quam mentis egenus,  
 Quam non constiterint linguaq; mensq; sibi.  
 Quam mala sis illi, quam detestanda locutus,  
 Textet prolixam forsitan historiam.  
 Hoc à te fractum quoq; commemorabit, et illud,  
 Illa futura satis conicio longa tibi est.  
 Cum te res tandem tales audire pigebit,  
 Talia ne pergat dicere uerba, iube.  
 Si paret, satis est: at si parère recusat,  
 Et perget gestas res memorare tuas:  
 Corripe mox quaecūq; tibi furor arma ministrat:  
 Illaq; in uxoribus mitte uibrata caput.  
 Illa procul dubio prestare silentia discet.  
 Nec tibi erit rixis inde molesta suis,

Plura

## DE MORVM SIMPLIC.

Plura ego te, si non fieret mora longa, decorem,  
Sed puto quòd per te multa uidere queas.  
Nostra tibi exemplum saltem generale figurant  
Carmina, nec studium scribere cuncta fuit.  
Ipse tibi finges exempla salubria morum  
Plurima, simplicibus non reprobanda uiris.

### C A P V T IX.

Quomodo conuiuæ abs te inuitari exci-  
piendi, tractandi, & deniq; dimitten-  
di.

**T**V quoq; conuiuas aliquos quandoq; uocato,  
Ne uideare tuæ sordidus esse domi.

Nèue tibi possim odiosè dicere, semper  
Alterius siccas pocula, nemo tua.

Quosq; tui inuitas causa simulator honoris,  
Ut ueniant, nimium uelle rogare caue.

Interea securus abi, nul anxius ullo  
Nominè, nec quenquam uelle uenire puta.

Tum si qui uenient, quos non speraueris, illos  
Protinus hoc iubeas rursus abire modo:

Fortassis uerum est à me uos esse uocatos,  
Attamen id certò non scio: potus eram.

Pocula si uobis inter sum pauca loquutus,  
Scribenda in liquido nonne fuere mero?

Qui memor est nimium compotor displicet, atq;  
Dicta ioco nullum pondus habere decet.

Vel sic excuses, ut honoris uerba fuisse  
Illa, nec ex animo dicta fuisse, probes.

Vtilis



LIBER SECVNDVS.

Vtilis hæc uulgo sententia fertur, honoris  
Verba sub integro iudice nulla ligant,  
Vel malè conueniens tempus dic esse, quòd ego 4  
Corpore, uix etiam languida membra trahas.  
Pocula me nimio torquent hesterna dolore,  
Quæ cerebrum fumis inuoluere meum.  
Omnis in uxorem poterit quoq; culpa reponi, 5  
Quæ miserum iuris te uetet esse tui.  
Ergo abeant, et te præsens in tempus omittant,  
Atq; uelint alio tempore adesse roga.  
Nec tamen id semper facies, aliquando receptis 6  
Quos inuitaras, sercula pauca dabis.  
Illa tamen nimio ne fortè paraueris ære,  
Res siquidem damno non caret illa, caue.  
Cur facias ullos aliorum nomine sumptus?  
Qui tibi quid cupiat reddere rarus erit.  
At si sponte sua cœnandi tempore nondum 7  
Adfuerint, iterum nemo uocandus erit.  
Per famulum quenquam multumq; diuq; rogares,  
Ut tandem oratus sæpe uenire uelit.  
Non placet ut tanto quenquam digneris honore:  
Et modò consilij causa sit illa mei.  
Qui uenit oratus, sibi uult ut gratia cedat  
Magna, quòd ad sordes uenerit ille tuas.  
Officiumq; ingens tibi uult præstare uideri.  
Gratia sic facti parua futura tui est.  
Nec quenquam expectes, qui iusto tempore adesse 8  
Negligit, emanat tempus in omne licet.

Tm

## DE MORVM SIMPLIC.

- Tu citus ad mensam te cum sonat hora locabis,  
Quodq; tibi coniunx sedula coxit, edes.  
Serius adueniens sedeat male uel male cœnet,  
Et fieri summo talia iure sciat.  
Cur etenim certo fatuus neglexit adesse  
Tempore quod damnum fecit id ipse feret.  
9 Vel concludere fores, præscripta ubi transit hora,  
Nec serus ueniens introiisse queat.  
Clausaq; pulsanti reseretur ianua nulli,  
Exclusus poterit rursus abire domum.  
10 Ast in tro missis nec aquam manus unde lauetur,  
Nec quibus insideant scamna parata dabis.  
Credibile est lauisse domi, & sedisse, prius quam  
Tecta foret tugurii tempus adire tui.  
11 Verre pavimentum, cunctos ubi cernis adesse,  
Ne non purgatum forsitan esse putem.  
Deniq; quicquid erat conuiuia ad illa parandum,  
o Tempore quo cunctos cernis adesse para.  
12 Non de conuiuis tibi cura sit ulla locandis,  
Sed iubeas sedes ut sibi quisq; legant.  
Atq; ita nil fuerit de te quod iure queratur,  
Qui putat indignum se tenuisse locum.  
13 Fercula quæ ponis ne non sint grata uocatis  
Hospitibus, magnis laudibus illa uehas.  
Commemores quanto precio sine emptâ, uel unde,  
Et quanto ueniant illa labore tibi.  
Qualiter & quamas sint omnia cocta per artes,  
Magnifica solers singula uoce refer.

Quoq;

Quoq; magis laudes, et sis acceptior, adde.  
Vix alium tali posse parare modo.

Gratior hospitibus gustuq; suavior esca  
Laudibus his abs te quæ celebratur, erit.

Nec tamen ut carpant epulas hortaueris ullos.  
Qui sensere famem nil monitoris egent.

Qui nihil esuriunt, illos hortabere frustra.  
Plenus enim uenter sercula nulla capit.

Nec præpone dapes alijs, satis esse superq;  
Iudico, te exemplo quenq; monere tuo.

Largiter ipse uora, dentesq; intende labori,  
Hæc reprimit sæuam sola medela famem.

Qui nihil hac ut edant ipsi ratione mouentur,  
Hos uacuo semper uentre sedere sine.

Si tamen est animus quicquã præponere cuiquã,  
Non temerè id, stulius ne uidearis, ages.

Quæ dare uis alijs, degusta prouidus antè,  
Quàm tibi dilecto porrigis illa uiro.

Hoc potes ignotum deprendere more saporè,  
An bonus in danda parte sit, anne malus.

Nil opus est quadras adferre subinde recemes,  
Quando noui ueniunt sercula missa cibi.

Quas habuere prius uertant, aut deniq; tergunt  
Mappa, quæ mensam non nimis alba tegit.

Cur nimio famulam patiare labore grauari,  
Quò lauet infectas illa subinde quadras?

Cùm satiari fuerint, mensaq; epuleq; remota,  
Fortiter ut potens fortia uina, iube.

Si

DE MORVM SIMPLIC.

- Si nimis esse tibi segnes tardiq; uidentur,  
Fortiter in segnes utere iure tuo.  
Coge uel inuitos ut inania pocula uertant,  
Tu quoq; qui uertat pocula primus eris.  
Ebrius hinc cuicumq; uoles intendito litem,  
Magnaq; stentorea iurgia uoce moue.  
Et bene pulsatos Lapitharum more bibones,  
Si mala reddiderint uerba, remitte domum.  
Nanq; tua concessa domi est tibi summa potestas,  
Et tibi quod uisum est cunq; patrare licet.  
Non equidem credo mox ad te uelle reuerti,  
Qui semel incursum sustinuere tuum.  
19 Si tamen ipse tibi metuens pulsare uereris,  
Quos numero et manibus uincere posse uides:  
Scommata conuiuas in quoslibet aspera mittas,  
Et tacitum lingua uirus habente, petes.  
20 Siq; tuis semis offendi moribus ullos,  
Hos exire tua coge repente domo.  
Cur etenim tristi turbent conuiuia uultu,  
Qui nequeunt hilari fronte uidere iocos?  
21 Cum reliquis uiues genualiter atq; benignè,  
Sobrius at ne quis possit abire uide.  
Atq; fores forti munitas obice claude,  
Et famulum clausas qui tibi seruet habe.  
Emitte nullum, quamuis sit maxima causa,  
Emitti cur se postulet ille foras.  
Hoc reor efficies paruo faciliq; labore,  
Ne libeat cuiquam sepe redire tibi.

Matris

Matula sub mensam ponatur maxima, in illam  
 Quicquid opus fuerit reddere quisq; potest. 22  
 Exonerent in eam, si res ita postulet, aluum,  
 Gratus erit teneris naribus inde uapor.  
 Cumq; per effractam fuerint effusa fenestram,  
 Que tenuit fundo matula plena suo:  
 Vina tui ex illa potent infusa sodales,  
 Hos aliquis letos dixerit esse uiros.  
 Atque ita per totam noctem potate sedentes, 23  
 Ut cubitum tali tempore nullus eat.  
 Lucifer oceanum surgens ubi liquerit altum,  
 Tunc discessuris pande repente fores.  
 Ire domum melius poterunt tunc absq; lucerna,  
 Cum præbere facem cœperit orta dies.  
 Per lucem dormi, cum cætera turba laborat, 24  
 Sub noctem uicto uina sopore petas.  
 Sic ubi diuitijs alij partisq; fruuntur,  
 Tu mendicantium de grege frater eris.  
 Quid tibi cum curis & solitudine Plutij?  
 Vnica sit laute uiuere cura tibi.  
 Attenuat fragiles hominum labor improbus artus, 25  
 Et misera cura pectora clade premunt. 26  
 Nec tamen attingunt finem sudore petitum,  
 Qui nimias auida mente sequuntur opes.  
 Dij faciant habeam quod uitæ postulat usus, 27  
 Curaq; de reliquo non erit ulla mihi. 28  
 Diuitia, & magni quos uulgus querit honores, 29  
 Exitio dominis sæpe fuere suis. 30

DE MORVM SIMPLIC.

Qui sapis ergo, tuis, donec potes, utere rebus,  
Atq; tuum corpus suauiter inde foue.

DE MORVM SIM-  
PLICITATE LIBR  
TERTIVS.

CAPVT I.

De ordine huius libri, moribus in hone-  
sto conuiuio, edendis offis & can-  
cris.



VAE TIBI SCRIPTA  
dedi libris praecepta duob,  
Hactenus, ingenio nil no-  
citura rudi:  
Temporibus certis legique  
astricta uideri,  
Nec satis esse loco civili-

bet apta, queant.

Nunc igitur tandem metis egressus iniquis,  
Aequora per uento liberiore serar.

Huc ades ô Bingi, Phœbo gratissime Bingi,  
Auspice quo populis ista legenda damus.

Huc ades, & mecum bonus hunc decurre laborē,  
Tu mihi Pegasus numinis instar habes.

Tu potes & uento mea tendere uela secundo,  
O saltem ingenio perge fauere meo.

Hoc

Hoc ego pauca loco præcepta prioribus addam,  
 Simplicibus quæ sint non fugienda uiris.  
 Sed mihi seruandi ratio iam non erit ulla  
 Ordinis, ad leges nil facit ille meas.  
 Singula quo cæcus dabit impetus ordine dicam,  
 Quæ supra longum commemorare fuit.  
 Præbe iterum cupidas monitis sapientibus aures,  
 Quisquis es antiquæ simplicitatis amans.  
 Accipe degendæ quæ norma sit optima uitæ,  
 Non nimis hac fieri doctus in arte potes.  
 Multa etiam morû præscripta exempla uidebis,  
 Quæ breuis hic summo fine libellus habet.  
 Omnia te poterunt rudiorem reddere, si uis  
 Omnia non animo deficiente sequi.  
 Non eadem tamen esse ætatibus apta quibusuis  
 Arbitror, arbitrio dispice cuncta tuo.  
 Quæ tibi conuenient, hinc, cum res poscet, et illo  
 Accipiens, apta moribus ipse tuis. (Imo  
 Nilq; tua referre putes, quo nomine, quas sine  
 Præscripta ob causas singula, quòue loco.  
 Quicquid erit quod posse tuis prodesse putabis  
 Moribus, ad uitæ commoda flecte tuæ.  
 Nil opus est alio cui subiiciare magistro,  
 Te sequere, et paruo tempore doctor eris.  
 Iudicio stes ipse tuo, quia crimine ab omni  
 Excusatus eris simplicitate tua.  
 Quisquis ad alterius placitū uult uiuere demens  
 Est miser, et uitæ nescius ipse suæ.

DE MORVM SIMPLIC.

Forsitan ad coenam uenies nouus hospes eandem,  
Cum claris magnæ laudis honore uiris.

Iamq; paratus erit locus, in quo fercula sumas,  
Lautaq; propositis mensa onerata cibus.

Nulla sit ullius reuerentia, non pudor ullus,  
Crassus es, & loquitor quæ tibi cunq; placent.

Protinus & uanum de pectore pone timorem,  
Carpe cibos, auida pocula sume manu.

Coelicaq; argutis pulsa clamoribus astra,  
Quodq; tibi pulchrum cunque uidetur age.

Scilicet ad mensas, interq; calentia nullum

Vina, uerecundis moribus esse decet.

Inde ubi sermones alij conferre benignos  
Suauiter, & lætis membris esse uolent:

4. Incipe de grauib; grauiter comendare rebus,  
Magnaq; sublata prælia uoce moue.

Hæc tibi magnificum res conciliabit honorem,

Mox & ob ingenium laude uehère tuum.

Atq; alijs sapiens præ mille uideberis unus,

Vix alia fieri clarior arte queas.

Sic etenim uino linguam faciente disertam,

Gratia dicenti maior inesse solet.

Iure coquus pingui perfusas adferet offas,

Quæ poterunt stomacho fortè placere tuo:

Arripe quod glabrū cochleare tibi esse uidetur,

Iurq; mitte auidam primus in illa manum.

Moxq; tuum esuriens offis ita pinguib; imple,

Vt capere ulterius nil cochleare queat.

Quod



Quod tibi sufficiat potes uno haurire labore?

Cur opus id demens sæpe iterare uelis.

Quæ simul haufisti, simulingere faucibus, atque

Tende tui buccas oris utraq; cibo.

Inde tamen salsas minus esse ubi senseris offas,

Id potes hac solers arte leuare malum.

Vel totum apposito cochleare intinge salino,

Cum madidis plenum panibus illud erit.

Vel celerem protende manum, positoq; timore

Urbanus digitis accipe quinque salem.

Nanq; malum certè quæuis habet esca saporem,

Quæ sale, rancorem non patiente, caret.

Sunt in delitijs cancri: si fors an & illos

Apponi mensæ, te comedente uides:

Exiguos alijs sine tu tenerosq; placere,

Plus siquidem magni quod comedatur habent.

Nō tamen esse bonos magnos reputaueris omnes,

Hoc signum fallax sæpius esse solet.

Ergo bonos melius ne non dignoscere possis,

Hanc tibi, quæ minimè regula fallat, habe:

Inspice sub cauda quibus oua latere uidebis,

illos ingenuè dixeris esse probos.

Hos retinens comedas: ubi si non uideris oua,

Tunc tibi suspectos protinus esse uelim.

Suspectosq; tibi uicino appone sodali,

Quodq; tuo stomacho non placet, ille uoret.

Vel mox inspectos in lancem reijce, ut illinc

Arripias alium qui tibi cunq; placet.

## DE MORVM SIMPLIC.

Nec retine quenquam nisi quibus esse uidetur,

Multaq; sub cauda qui gerit oua sua.

9 Vtq; uores totos subito non suadeo cancos.

Res numium longam posceret illa moram.

Sufficiet medium cancrorum exugere uentrem,

Et quae sub tergo testa repanda tegit.

Interea in mensa uolo te seponere chelas,

Et quae de trunco cauda reuulsa fuit.

Sic ubi iam nulli reliquis in lance supersunt,

Quae comedas chelas solus habere potes.

Hac alijs plures unus ratione uorabis,

Consilium ingenij non rudis illud erit.

Has expectantes ideo dixere, quod illas

Non, nisi cum reliquis nil modo restet, edant.

Hoc nuper quendam uidi quoque posse, sed unus

Qui mores illos non bene ferret, erat.

Ille ut erat lepidus, factisq; facetus & ore,

Vicino insidias non sine fraude struit.

Seponiq; ab eo cancrorum brachia cernens,

Protinus extensa corripit illa manu.

Et, quapropter ait non uescere partibus illis?

Has ego praecipuas rusticus esse putem.

Non equidem soleo contemnere brachia cancri,

Si tibi non uisum est frangere, cede mihi.

Dixit, & extemplo praedam confregit, & edit,

Vicinoq; nihil reddidit inde suo.

10 Tutius est igitur oculis imponere perae,

Vna cum caudis brachia raptasuis,

Sic

Sic rapiet nemo, sed tu tibi solus habebis.  
 Atque domi & quodocunque libebit, edes.  
 Nec solum caneros, sed quæ tibi cunque placebunt,  
 V sibus & serues illa memento tuis.  
 Si tuus id fieri non approbet inuidus hospes,  
 Munera in aspectum cur ferat illa tuum?  
 Quis sapiens chari munus contemnat amici,  
 Quod facilis prompta porrigit ille manu?  
 Nulla meam subest tam magna superbia mentem,  
 Quæ iubeat chari spernere dona uiri.  
 Quin potius grato gaudens ego pectore sumam,  
 Quæ quocunque mihi sumere iure licet.

## CAPVT II.

De egregijs bibendi rationibus, & de moribus in discessu obseruandis.

**S**Aepe suis hospes conuiuis uina propinat,  
 Qualia de propria uinea uite dedit.  
 Si minus hæc senis generoso è palmitate nata,  
 Atq; ideo linguæ non placitura tuæ:  
 Protinus ingratum tolli tristemq; liquorem,  
 Vinaq; proponi nobiliora iube.  
 Quas etenim grates uili pro munere dicas?  
 Si data sine gratis uina bibenda tibi.  
 Sin uolet expensis solui data pocula numis,  
 Vina soluturo cur meliora neget?  
 An tibi quæ magnis sudoribus æra parasti,  
 Acquisita malis artibus esse putat?

DE MORVM SIMPLIC.

2 Si tamen ipse ullos ad prandia fortè uocasti,  
Siue domus ultrò tecta adiere tui:  
Callidus his quæ sunt uilissima uina propina,  
Quæq; nihil grati sumpta saporis habent.  
Forsan erunt etiam promi meliora petentes,  
Sed caue: morigerum talibus esse nocet.  
Quis scit an & precio persoluere pocula iusto,  
An potius gratis uina bibisse uelint?  
3 Magna rei uilis non est iactura, potesq;  
Exigui citius uincere damna mali.  
Da meliora, bibent nimium sine fine modoq;  
Tenuia da, cupient quisq; redire domum.  
3 Pocula si cuiquam sitiens non parua propinas,  
Quanta sitim poterant pellerè sumpta boui,  
Ille tibi potans uno respondeat haustu,  
Cessanti requiem non dabis antè uiro.  
Si negat esse sibi tantas in pocula uires,  
Ut ualeat tantos euacuare scyphos:  
Multa recusanti pugnando fortius instat,  
Et poteris uoti compos abire tui.  
Sim minus: & nullis clamoribus ille mouetur,  
Propositiq; tenax manserit usq; sui:  
Arripe de media spumantia pocula mensa,  
Inq; recusantis tota refunde sinum.  
Crede mihi posthac tali discrimine cautus  
Redditus, ad monitus non ita durus erit.  
His ego me nuper quoq; sum rationibus ultus,  
Sumere uicino uina negante meo.

Et

Et retuli uiridem merita pro laude coronam,  
 Illa meæ merces rusticitatis erat.  
 Post ubi iam cerebri sacram conscenderit arcem, 4  
 Quem genuit uini potio larga, uapor.  
 Linguaq; iam blæsis titubauerit ebria uerbis,  
 Perdideruq; suum mens superata locum:  
 Tempus erit, letam ridens exporrige frontem,  
 Et tua non dubijs gaudia prode notis.  
 Nec mora, de Samia quæ finxit pocula gleba,  
 Qui celerem docta circumat arte rotam:  
 Aut potius fragili confecta poteria uitro,  
 Letifico sitiens arripe plena mero.  
 Illaq; cum uino pariter spumante propina,  
 Quem responsarum noueris esse, uiro.  
 Poculaq; ipsa simul cum uino, attrita uorato ce  
 Dentibus, inq; auidam merge minuta gulam. ce  
 Non equidem humana ratione carentia uidi  
 Bruta, nec audiui tale patrasse scelus.  
 Sed tamen (ô mores, ô tempora foeda) quibusdam  
 Mos placet, et magni nominis, ille, uiris.  
 Tu nihil indignum, nihil illaudabile crede,  
 Illicitumq; tuis moribus esse nihil.  
 Quæ fecisse alios audieris, omnia tenta,  
 Si modò magnificam nomen habere cupis.  
 Si tamen hæc alios immania facta uidebis  
 Barbarico faciles pectore nolle sequi:  
 Non uolo te coepta uictum desistere causa,  
 Imò aliud, letus quò uidearis, ages.

DE MORVM SIMPLIC.

Pocula tum lato tibi posce capacia fundo.

Illaq; uicino praebebe plena tuo.

Nec tibi dulce puta tantum uulgaribus uti,

Antè tibi sano qui placuerè, scyphis:

Vasa tibi mensis prius inconsueti require,

Quae credes siccam posse rigare gulam.

Malluium primò uinis undantibus imple,

Proximus impletum est euacuare labor.

Inde domum uigili totam circumspice cura,

Plurima uasa solet diues habere domus.

Non aberunt illic ollae, sartago, lebetes,

Non aberunt situlae, cacabus, urna, cadus.

Inuenies illic carchesia, cymbia, et obbas,

Vasaq; quae dominus multa beatus habet.

Quaecunq; inuenies, cecis educta latebr

Profer, et ex illis Bacchica uina bibe.

Si nihil est aliud calicis quod praebeat usum,

Excipiat fuscum matula foeda merum.

Non tamen inde mihi uinum furiose propines,

Delitias poteris solus habere tuas.

6 Nullus erit potor qui respondere bibendo,

Quod uinum uini sumpserit antè, uolet?

Fortiter insulta uictis, uictoria certè

Egregia est pulchro parta labore tibi.

Non tamen hac plenū referes ratione triumphū.

Ni fueris maius fortiter ausus opus.

Sume infundibulum (piget ah piget illa docere,

Heu quam barbariem secula nostra ferunt)



Id super ora loca uictorum plena uirorum,  
 Qui nequeunt propria poela leuare manu.  
 Vinaq; in illorum generosa infunde palatum,  
 Vltima Dramatis scena sit illa tui.  
 Deniq; cum uentrem dapibus recreaueris, atque 7  
 Expleris sumpto uiscera laxa mero:  
 Non ego magnificis grates te dicere uerbis,  
 Sed iubeo saltem cum libet ire domum.  
 Antè tamen stomachum bilemq; mouere uocanti, 8  
 Quàm fugias, ista callidus arte potes.  
 Multaq; de dapibus, deq; hospite multa querèris,  
 Quòd dederit lautos non satis illic cibos.  
 Insimula promum, quòd non bona uina bibendi  
 Prompserit, aut aliud quicquid habere potes.  
 Austero placuisse tibi nihil innue uultu,  
 Et fictas ira præfer in ore notas.  
 Dic: Ego tractatum multò me lautius iri  
 Credideram, sed cur spes mea falsa fuit?  
 Nonne fuit satius nunquam uenisse uocatum,  
 Si me splendidius non habiturus eras?  
 Cuncta ioco quamuis fingas, tamen illa seuera,  
 Geu uerissima sint, omnis fronte refer.  
 Sic rapida frustra commotum bile relinque,  
 Atque domum gestis tam bene rebus abi.  
 Verùm ubi postridie rursus conueneris ipsum, 9  
 Sit labor iratum conciliare uirum.  
 Imò potes lepidis etiam bene ludere uerbis,  
 Et facimus risu purificare tuum.

Obijce

DE MORVM SIMPLIC.

Obijce quòd tanta sine causa exarserit ira,  
Omniaq; illa iocum dicta fuisse proba.  
Quid faciet? neq; enim poterit damnare iocatum,  
Si modò non nimium barbarus esse uolet.  
Et tibi nox illa rursus placabitur hora,  
Atq; quod amè fuit, summus amicus erit.  
Forsan & ad cœnæ te fercula grata uocabit,  
Protinus ingenij captus amore tui.

CAPVT III.

De scomnatis spargendis & feren-  
dis, crepitu, screatu, responsione  
ad interrogata, & inspectione alie  
narum literarum.

**S**unt quibus hæc animi uideatur summa uolu-  
ptas,

Scomnata mordaci spargere salsa ioco.

Ergo solent dictis aliorum carpere mores,

Se lepidosq; illis artibus esse putant.

Non equidem si quis naso suspendat acuto

Vicinos, ideo uituperare uelim.

**2** Te tamen admoneam, si quis te ludere uerbis  
Incipiat, uultu ne patiente feras.

Prode tuam signis minimè fallentibus iram,

Crede mihi iratum ludere nemo uolet:

**3** Si nihil ira iuuat, nec adhuc tibi parcitur, illa

Vexanti ut referas uerba paratus habe:

Cum genitor stultum meus olim uellet habere,

Quò tereret longa tædia lenta moræ:

Me



Me sibi gignebat natum, curasq; dolenti

Discutere, & fatui iussit obire uicem.

Tu quoq; si uerbis tanta est uexare uoluptas,

Qui tua ferre queant scommata, gigne tibi.

Talia uociferans, uexantia uerba retundes,

Atq; ab eis alio tempore tutus eris.

Si tamen expositis te quisquam ludere numis

Cœperit, haud aegrè te decet illa pati.

Accipe quicquid erit, nil reiſce, qualibet ex re

Proueniens, lucri portio grata uenit.

Tu tamen hanc alijs quoq; disce docentibus artē,

Vt bene pro uerbis reddere uerba queas.

Quosq; tibi facto sociabis fœdere fratres,

Non bene uexatos nullos abire fines.

Pollicitis cupidas lactabis inambus aures,

Multaq; de rebus uana loquere tuis.

Nec tamen usq; adeo simplex euaseris unquam,

Vt tibi sit cordi soluere uelle fidem.

Regibus adsimilis promittens multa fuisti,

Soluere promissum, est desipientis opus.

Si tamen in grauibus libuit tibi fallere rebus,

Non scelus id nostro carmine doctus eras.

Quando tibi sedes homines datur inter honestos,

Fœmine uirgine uelategis uirgine uelatus:

Ventris onus tacitos sine clam prorūpere uentos,

Mox hominum nares ille subibit odor.

Protinus ut culpæ ne suspicione graueris,

Quis nouus, exclama, fœtor? & unde uenit?

Insimula

DE MORVM SIMPLIC.

- In simula teneras sublata uoce puellas,  
Oraq; mox calidi plena ruboris erunt;  
Ista solent crimen comitari signa fatemes,  
Ingenuusq; reas arguet esse pudor.  
Vel baculo paruum, si praesto est, pelle catellum;  
Suffitus culpam pestiferi ille ferat.  
Sic tibi fama tui plenè constabit honoris,  
Quasiq; alij poenas non meruere luent.  
Et simul ingratum nares patientur odorem,  
Illius ignotus sed tamen autor erit.  
7 Sepe etiam illapsus grauis est pulmonibus humor,  
Crapula quem potuit gignere siue gelu.  
Hunc homines aliqui quando eduxere screantes,  
Iamq; super linguam plurimus ille iacet.  
Turpiter impuro prius ore diuq; uolutant,  
Quàm spucere, et faedo pure carere, uelint.  
Quos tamen accipiant ex illo nescio fructus,  
Sed mirè factum tale decere scio.  
Et scio quòd multis moueatur nausea, et illa  
Sufficiens ratio cur imiteris erit.  
Me quoque si facias illud praesente, profecto,  
Res mihi nulla quidem gratior esse queat:  
Os tamen ut semper, uotis ardentibus optem,  
Impuro plenum sit tibi pure tuum.  
A genitore aliquid donauit rogaris inter,  
Siue alius qui te plurima quærat, erit:  
Non nisi post longo responde tempore, quando  
Terq; parens inter terq; rogarit herus,

Tuum

Tum uelut ex alto reuocatus deniq; somno,  
 Sed uix proposito congrua uerba refer.  
 Qui citò respondet, neq; rectè expendit antè  
 Omnia, desipiens esse putatur homo.  
 Aut ubi de certis animus fert paucula rebus  
 Dicere, quid deceat te meminisse uelim.  
 Non nolo simpliciter nuniū, breuiterq; loquaris,  
 Copia uerborum plenior apta tibi.  
 Ne non Rhetorica uidearis in arte peritus,  
 De nihili rebus te uolo multa loqui.  
 Principio prolixo, ambagibus utere longis,  
 His auditor enim conciliandus erit.  
 Si nihil est aptè pro re quod dicere possis,  
 Nil refert, quamuis accipe materiam.  
 Romanas acies, partosq; labore triumphos  
 Commemora, et priscos nomina clara uiros.  
 Hannibalis pagnas et Punica praelia narra,  
 Vel quo sint olim Pergama capta dolo.  
 Coelica uel longis sermonibus astra recense,  
 Et mundi et rerum quæ sit origo, refer.  
 His patulas postquam dictis calfeceris aures,  
 Rem tibi tunc ipsam dicere tempus erit.  
 Ausus erit si quis te interpellare loquentem,  
 Audiatur is lingue iurgia multa tuæ.  
 Nil pudet, exclames, ò morum ignare bonorum?  
 Nil pudet? et magnos sic uenerare uiros?  
 Dic ubi, qui tandem sic te docuere Magistri,  
 Ut rumpas nugis uerba aliena tuis?

## DE MORVM SIMPLIC.

Hac tibi non paruos ratione parabis honores,  
Gloriaq; hoc pacto magna futura tua est.  
10 Si quis erit missas sibi qui legat ore tabellas,  
Quæq; legit non uult omnibus esse palam:  
Tum quocunque modo clàm te coniunge legenti,  
Siq; potes, tacita tu quoque mente lege.  
Fecit idem quondam dilectus Ephestio regi,  
Qui Masedùm magno pectore rexit opes.  
Nec tamen ille suo, licet omnia legerat unã,  
Propterea charus desijt esse duci.  
Nec puto quòd quisquam uitio tibi uertere possit,  
Quòd sint lecta oculis scripta aliena tuis.  
Esse scelus multi crimenq; immane putarunt,  
Non ego tam duri nominis autor ero.  
Et uideo certè clarorum exempla uirorum,  
Crimine quæ factum tale carere probant.  
Nõne uir eximius, patriæq; insignis amator  
Tullius Ausonia consul in urbe fuit?  
Ille suis certè non paucula scripsit amicis,  
Quæ diuulgari non decuisse putes.  
Attamen illius nullo prohibente leguntur  
Literulæ, & nullus qui stomachetur adest.  
Et cur quæ nostro scribuntur tempore, eodem  
Non liceat pacto scripta minora legi?

### CAPVT. IIII.

Quomodo te geras alienas ædes aut hy  
pocaustum ingrediens, De uersicolo  
ribus, et dissectis uestibus, ornatu bar  
bæ, usu

bæ, usu chartarum & librorum, exci-  
piendis amicis, deq; alijs ciuilitatib.

**I** Nuenias adeò quos gloria uexet inanis,  
Ut nihil in uita non sapienter agant.

Hi subeunt nunquam noti sibi tecta sodalis,  
Quin digitis pulsent leniter antè fores.

Et pateant cunctis licet ingredientibus ædes,  
Intrandum subito non tamen esse putant.

Scilicet incautum strepitu placet amè monere,  
Ne tectum faciens inueniatur opus.

Hoc bene morati facientes esse uidentur,  
Forsan & ille aliquid mos rationis habet.

Tu tamen antiquum fortè accessurus amicum,  
Compositis nimium moribus esse caue.

Irrue sed potius qua ianua prima patefcit,  
Ut tibi amicitie nomine cuncta licent.

Forsitan inuenies quod cerni nolit agentem,  
Si tacitus patulas ingredière fores.

Id tibi materiam risus dabit inde iociq;  
Scilicet & fueris charior ipse uiro.

Frigidus in calidum quando uenies hypocaustū,  
Siue illic notus siue alienus eris:

Protinus ad furnum frigans accurrito, moxq;  
Calfaciasq; manus calfaciasq; pedes.

Et pedibus laxam frigentibus exue pellem,  
Qua malè pes contra frigora tutus erat.

Dempta pelle pedes argentes recreet ignis,  
Rectius & citius discutit inde gelu.

K

DE MORVM SIMPLIC.

Si libet exutas caligas appendere ibidem,  
Non ueto: nec fructus res habet illa nihil.  
Sæpius est tetrus infectus odoribus aër,  
Tum cerebri crasin turbat iniquus odor.  
At noua suspensis caligis fragrantia surgens,  
Fœtori ueteri non sinet esse locum.  
Illaq; depulso nares fœtore subibit,  
Qui cerebri cellis antè molestus erat.  
Aëris hac uitium corrupti tollitur arte,  
Et nouus hic rectè temperat illud odor.  
3 Displiceas alijs, minimum referre putato,  
3, Omnibus in mundo nemo placere potest,  
Omnibus in mundo cum possit nemo placere,  
Ut nulli placeas cura sit una tibi.  
Cur studeas alijs nequicquam uelle placere?  
Non satis ingenio res quadrat illa tuo.  
3, Inuita nihil est fas attentare Minerva,  
3, Quodq; nequit fieri non uoluisse decet.  
4 Post ubi de furno te causa recedere coget  
Ardua, consilij percipe uerba mei.  
Tutus ut à sæuæ serueris frigore brumæ,  
Aq; gelu teneros quò tueare pedes.  
Imposito laxas distendito stramine pelles,  
Non malè subiecto stramine plana calet.  
Ni tamen emineat longè, possitq; uideri,  
Quid pedibus stramen supposuisse iuuet?  
Proderit exemplum reliquis, quicunq; timebunt  
Frigora, nec pauci qui te imitemur erunt.

Tene

Tene tua quisquam de rusticitate monere  
 Ausit, & in mores mittere scommatus  
 Non ego, si fueris conuitia talia passus,  
 Te reputem fors pectus habere uiri.  
 Si nihil est quod agas, & sumere tela uetaris,  
 (Dura ego te certe sumere tela uelim)  
 Quid dubitas rabidam prorumpere laesum in ira,  
 Hoc tibi si telum desit inermis eris.  
 Quisquis erit uerbis abs te repr. sum amaris,  
 Si qua fides, posthac non erit ille dicax.  
 Nuper ego uetui te scommata ferre iocosq;  
 Seria nunc idem te quoq; ferre ueto.  
 Quae tibi sunt uestes uario distingue colore,  
 Quod uarium est oculis gratius esse solet.  
 Gaudet enim uarijs natura coloribus ipsa,  
 Naturae dubitas tu documenta sequi?  
 Qui duce natura uiuit, bene uiuit, & illum  
 Dixit à recta nullus abesse uia.  
 Hanc tibi in hac etiam proposito parte sequendā,  
 Illa quid addeceat monstrat ubique tibi.  
 Aspice sub densis coelestem nubibus arcum,  
 Diuerso radios ille colore notat.  
 Aspice plantarum formas, pennasq; uolucrum,  
 Aspice quas gemmas India diues habet.  
 Omnia multiplici cernes uariata colore,  
 Quae natura parens ingeniosa creat.  
 In uarias partes quoq; uestimenta secare  
 Ne scio quid nostro tempore laudis habet.

DE MORVM SIMPLIC.

Id uelut in primis, si quid mea dogmata curas,

Vt facias, istis uersibus autor ero.

Truncus uers, caudex, et uilis habebere uappa,

Ni bene dissecta femina ueste tegas.

Si uerò miserè partes laceraueris omnes,

Vt nihil integrum corpore penè geras:

Nobilium poteris de posteritate uideri

Editus, & magni nomen habere uiri.

Aut certè pugnax reputabere Martis alumnus,

Turba tegi sectis uestibus illa solet.

8 Quacūque ingrederis, facies auster a notetur,

Et tetrico priscos uince rigore sophos.

Ridebis nunquam, nisi cū ratis obruta fluctu

Aequoris in medijs mersa resedit aquis.

Qui te cunque uident, magnarum indagine rerū

Implicitum, curas pectore ferre putent.

Sic tibi quicquid ages, magno tribuetur honori,

Et laudem tanta de grauitate feres.

9 Publica tractantur quandoque negotia, & illic

Conueniunt iuuenes, conueniuntq; uiri.

Tunc aliquis missas excelsa uoce tabellas,

Audiat ut populi concio tota, legit.

Tu quoque non aberis rerum studiose nouarum,

Ad te pertineat res licet illa nihil.

Et, siquidem nihil est quod sit tibi discere gratū,

Mox alijs dempto sine molestus eris.

Ede aliquos ludos, strepitusq; procaciter ede,

Atque tua totum uincito uoce gregem.

Impedias



Impediās alios, ea sit tibi summa uoluptas,

Ne memori quicquam mente notare queant.

Hinc quoque materiam captandæ laudis habebis, 10

Si teget obductas hispida barba genas.

Longa sit enascens labio mystacula summo,

Oris quò rictum totius illa tegat.

Crede mihi, multum tibi res ea conferet usum,

Consilio nunquam falsus es antè meo.

Forsitan illapsas habeant tua pocula sordes

Quo lateant, oculos effugiantq; tuos.

Crimibus exceptas illas descendere in aluum

Cum tibi potando non patiere mero.

Atque per obiectam colabis pocula barbam,

Per tua quò Bacchus purior ora fluat.

Deinde tuos scabra turpes fuligine dentes,

Sæpe adeo risus dedecorare queat.

Sed tua protectos prohibebit barba uideri,

Pendula de summo quæ tibi nata labro est.

De grauibus quando uisum tibi dicere rebus, 11

Barba tibi laudem conciliare potest.

Hæc digitis grauiter propexã in pectora mulce,

Nec nisi post longam subijce uerba moram.

Hæc tibi maiestas in magnum cedit honorem,

Vt grauis et prudens esse feraris homo.

Paucula quæ scribis docto missurus amico, 12

Quisquis is est, animi nuncia uerba tui.

Quid noceat puras atro perfundere chartas?

Scriptaq; diuersis permaculare notis?

DE MORVM SIMPLIC.

Qui nimis exacta describit singula cura,  
Nescius est artem dissimulare suam.

Ars lateat: signo quæ si mihi proditur uno,

Non ero qui scriptis ausit habere fidem.

Imò etiam memori melius quò mente notari,

Inclyta quæ chartæ uerba fuere, quæ ant:

Proderit haud rarò uarijs distinguere signis,

Et maculis totos condecorare libros.

Illud idem facias quando tibi pauca legemur,

Sive tuus codex siue alienus erit.

13 Cum tibi longinquis uenit hospes amicus ab oris,

Et subit hospitij limina nota tui:

Illius aduentum læto te cernere uultu,

Si sapiis, emissa prodere uoce caue.

Nam tibi se gratum si senserit esse, redibit.

Sæpius, et damno res erit illa tibi.

Attamen exceptum largo potabis iaccho,

Dum potus nomen nesciat ille suum.

Non potes antiquum melius tractare sodalem,

Quàm nimio plenus quòd uomat ille mero.

Quando suas tandem remeare parabit ad ædes,

Forteq; iam ualido cinxerit ense latus:

Non tibi tum placeat dimittere multa rogantem,

Eq; uiram media coge redire uia.

Atq; uel inuitum retine, multumq; propina,

Illud inextincti pignus amoris erit.

14 Que deceant lectos, gratumq; cubile petentem,

Hoc etiam libro multa docendus eras.

Ille

Mas sed exactis si persequar omnia uerbis,  
 Quis mihi scribenti singula finis erit?  
 Esse tui similis semperq; & ubiq; memento,  
 Regulaq; hæc uitæ sufficit una tuæ.  
 Impedias alios strepitu dormire uolentes,  
 Quando tibi somno membra leuare graue est.  
 Quoq; potes ludens alijs magis esse molestus,  
 Hoc potior factis gloria parta uenit.  
 Calceus exempto teneras pede ledere nares,  
 Putridus ut trisli foetet odore, solet.  
 Ille odor in cerebri penetralia sacra receptus,  
 Hei mihi quas turbas, quàm mala multa ciet.  
 O procul inuisam cautus seponito pellem,  
 Si sapis, à lecto stet procul illa tuo.  
 Calceus alterius iaceat tuus ante cubile  
 Foetidus, hoc operam sedulus usque dabis.  
 Impleat alterius tam grata fragrantia nasum,  
 Ne tibi sit magni causa parata mali.  
 Plura loqui tecum de rusticitate uolebam,  
 O monitis semper dedita turba meis:  
 Lumina sed uideo tua uicta sopore grauari,  
 Fessaq; iam longa membra labare mora.  
 Eia age iucundo recrea tua corpora somno,  
 Et bene deposito sterte diuq; metu.  
 Clarorum interea tibi scribam exempla uirorū,  
 Quæ tibi sint uitæ regula certa tuæ.  
 Hinc potes cui vigilans quæcunque decere putabis  
 Sumere, ne frustra scripta fuisse querar.

DE MORVM SIMPLIC.

Nec, reor, hoc ullū facinus tibi carmine prodam,  
Vtile quod nequeat moribus esse tuis.

CAPVT V.

Aliquot exempla commemorat ciuili-  
tatum in mensa.

**N**vper erat iuuenis peregrè conuiua uoca-  
tus,

(Nupserat ingenuo pulchra puella uiro)

Induit ergo pedes laxis peronibus, illi

Sordibus immundi (quid nocet illud?) erant.

Aptat item plantæ tinctum ferrugine calcar,

Quò citius tardum currere cogat equum.

Et tamen hospitij serus defertur ad ædes,

Nam sonipes uno poplite claudus erat.

Vt uenit, ecce dapes cunctas uidet esse paratas,

Conuiuamq; suo quenq; sedere loco.

Festinans igitur calcaria demere plantis,

Et pedibus pelles, immemor ille fuit.

Cumq; suis ocreis ad mensam accurrit, & ecce

Virgo assessuro cedit honesta locum.

Ad latus ingenue sic proximus ille puellæ

Considet, haud talem dignus habere locum.

Protinus offertur pinguis gallina sedenti,

Quam iuuenis docta dissecet ille manu.

Non bene erat certa uersatus in arte secandi,

Nec quid agat certum, nec quid omittat, habet.

Audet, & acceptæ geminas cum cruribus alas

Desecat, à quadrane reuolare queat.

Prepo

Præpositurus erat truncum tibi candida uirgo,  
 Hei mihi, sub mensam trunca cadebat auis.  
 Ille rubens ignominia, se incuruat ut illam  
 Querat, et è dura tollere possit humo.  
 Tum miser ingentem crepitum perterritus cedit:  
 Ut nimium toto corpore curuus erat.  
 Oraq; non paruo confusus honesta pudore,  
 Posthabitis epulis au fugiturus erat.  
 Ferrea sed mensæ prendunt calcaria mappam,  
 Atq; illam secum quâ fugit ille trahunt.  
 Pocula nonne putas illum euertisse dapesq;  
 Quæq; dabant mensæ lumina clara faces?  
 Mensa etiam iuueni fugienti obstabat ibidem,  
 Multa tenens uario uitra parata mero.  
 Hanc quoq; præcipiti dum cõcitus impete fertur,  
 Vertit, et ad terram pocula fracta cadunt.  
 Obuius in medijs foribus tum fortè minister,  
 Qui ferat in mensam fercula grata, uenit.  
 Ut ruit hic cursu furioso, impingit in illum,  
 Et facit effundi quas tulit ille dapes.  
 Hoc auctus claudum conscendit honore caballū,  
 Et repetit patriæ limina nota suæ.  
 Sed licet hinc specimen uitæ sit sumere promptū,  
 Quæq; tibi prosint discere multa queas:  
 Non tamen hunc iuuenem numerare in agrestibus  
 Ut magis infelix quàm rudis ille fuit. (ausim,  
 CONTigit hinc alio quoq; tempore, ut hospes ami  
 Symposium charis fortè celebre daret. (cis

DE MORVM SIMPLIC.

Hic quoq; conuiujs digestis ordine, sedit  
Nobilis urbano foemina iuncta uiro.  
Ille caput piscis, Carpam dixere Cupedes,  
Matronæ digna cum grauitate dedit.  
Illa datam retinet quasi sit dignissima partem,  
Et decerpta ab ea quæ placuere uorat.  
Scrutari totum caput, & discerpere frustim  
Negligit, id forsã non ita docta fuit.  
Et nimius labor est ex arte resoluerẽ cuncta,  
Et precium tãni uile laboris habet.  
Ergo sub mensam totum caput abiicit illa,  
Vt rapidi carpant interiores canes.  
Ille suæ tantam uicinæ simplicitatem  
Conspiciens, æquo pectore ferre nequit,  
Sed caput abiectum de terra tollit, & inde  
Ad dominam uerbis acribus usus ait:  
Non pudet ò mulier facinus cõmittere tantum?  
Non ita simplicibus moribus esse pudet?  
Hoc caput appositum magni tibi nomine honoris,  
Non ut sub mensam proijceretur, erat.  
Si tibi non libuit frustim discerpere, nobis  
Reddendum nostra pro pietate fuit.  
Reddidit illa nihil, tam uim confusa pudore,  
Condidit in tacito lumen utrunque sinu.  
Dic uter urbanus fuerit magis, eiq; duobus  
Vtrum laude uebas uituperesue, refer.  
Magnifica illustris quãdoq; ad prandia princeps  
Nominis à clari ciue uocatus erat.

Vadit,

Vadit, et excipitur ueniens regalibus escis,  
 Omnia ceu magni principis aula nitent.  
 Carnibus appositis, pisces quoque; Lixa marinos  
 Adijcit, et uarij fercula multa cibi.  
 Hic domino ciuis gratum facturum, utraq;  
 E patinis piscem corripit ipse manu.  
 Hunc positurus erat generosi in principis orbe,  
 Sed prius in faustis excidit e digitis.  
 Excipit e digitis mox crepida nigra cadentem,  
 Crepida quae ciuis texerat alta pedem.  
 Protinus hinc tollens, in principis orbe reponit,  
 Verbaque peccato subiicit ista suo.  
 Sume tamen princeps, quid enim cecidisse noceret?  
 Nil mea coenosa crepida labis habet.  
 Quid dubitas? famulus purgavit ab omnibus illam  
 Sordibus, et pedibus subdidit inde meis.  
 Sic ait, et domnum uerbis instantibus urget,  
 Letus ut appositas carpas edatque; dapes.  
 Fortè uir eximie magno cum principe famae,  
 Sedit ad instructas hospes in arce dapes,  
 Huic non exiguum princeps habiturus honorem,  
 Paucula de lauta frustula carne dabat.  
 Nec mora porrectam digitis uult prendere partem,  
 Ille uir, et minimum uisus agrestis erat.  
 Sed male dum retinet capiens a principe carnes,  
 Protinus in uino pocula plena cadunt.  
 At miser ut raptò parat hinc educere cultro,  
 Est manus officio non satis apta suo.

Sed

DE MORVM SIMPLIC.

Sed tremit, & cyathū plenum iam carne meroq;  
Vertit, ut in mensa uina caroq; fluant.

Purpureoq; uiri malæ rubuere colore,  
illa uerecundi signa pudoris erant.

Ille quidem superis magis aduersantibus usus,  
Quam stupida ductus simplicitate fuit.

Tu tamen hinc morum sumes exempla bonorum,  
Quæ referens simplex esse rudisq; queas,

Quæq; miser fecit fortuna falsus iniqua,  
Hæc abs te fieri semper & arte uelim.

Hoc tua maior erit, quã tu arte merebere laudẽ,  
Quæ ueniunt casu laude uacare solent.

5 Vidi alium cuius culter cum scinderet assam,  
Noluit officium promptus obire suum.

Protinus ille sua ueritus ne parte careret,  
Hac ratione, diu præmeditatus, agit.

Arripit è medio partem quæ maxima disco,  
Quamq; putat ueniri posse placere suo.

Subq; suo raptam carnem, sine more, lacerto,  
Firmius ut posset continuisse, locat.

Inde manu frustum robusta grande reuellit,  
Et lacerat digitis uiscera tosta suis.

Nanq; suum cultro non efficienre laborem,  
Mox obit illius dextera prompta uicem.

Inde tamen reliquam patinæ non reddere partẽ  
Negligit, agrestis ne uideatur homo.

Imò alijs etiam carnes præponit easdem,  
Suauiter ut reliqui, quæ lacerauit, edant.

Nec



Nec tamen hoc temerè factum me fingere credas,  
 Præmia sunt nugis nulla parata meis.  
 Nec tu posse putes tã barbara scribere quenquã,  
 Quin faciant scriptis facta pudenda fidem.  
 Turpia Lurcones inter quia plura geruntur,  
 Quàm recitet numeris Pieris ulla suis.  
 Cum domino seruus mensa residebat eadem,  
 Hospes in ignota factus uterque domo.  
 Et simul eximij capiebant fercula ciues,  
 Qui caput & domini totius urbis erant.  
 Dumq; diu mensas attingere quisque moratur,  
 Et renuit primus carpere quisque dapes:  
 Quisque suos uultus uicini ad lumina torquet,  
 Quòd reliquis nemo dignior esse uelit.  
 Iamdudũ stomachus seruuum esurie sq; laceffunt,  
 Fercula quò rapidas mittat in ipsa manus.  
 Fas mihi ieiuni uenris placare latratus,  
 Quos fero iam longo tempore inanis, ait.  
 Dicit, & è patina quæ pars est optima tollit,  
 Inq; sua raptam, se locat ante, quadra.  
 Erubuit dominus peccanuis nomine serui,  
 Quòd rudis, & tanta simplicitate foret.  
 Signaq; dat tacito nequicquam plurima nutu,  
 Addit & obscuro paucula uerba sono.  
 Scilicet ut disco raptas modò redderet escas,  
 Atq; alijs primum cederet anè locum.  
 Seruus ubi domini nutantia lumina uidit,  
 Ambiguus nutu quid uelit ille sedet.

Iamq;

DE MORVM SIMPLIC.

Idemq; bolum pleno magnum uoluebat in ore,  
Os simul ingestum uix capiebat onus.

Euomit assumptas igitur malè territus escas,  
Hanc domini mentem credidit esse sui.

At domino uultu nutus repetente minaci  
Ambiguo sensu rursus, ut amè, sedet.

Tū reliquas carnes quas sumpserat amè, sub ipsam  
Corripiens mensam deicit ille manu.

Quippe uidens dominū nutu sibi multa loquētē,  
Et reliquos positis abstinuisse cibis.

Fercula letali putat esse infecta ueneno,

Que fuerint subitam sumpta datura necem.

7 Rusticus urbanum conuenit amicus amicum,  
Cui propè cognato sanguine iunctus erat.

Hospitis aduentu cuius letatus, opimas  
Solicite docta præparat arte dapes.

Vicinosq; uocat, pariter quos sumere cœnam,  
Atque animos uinis exhilarare iubet.

Conuenium, capiuntq; locum se quisq; decentem,  
Occupat extremum rusticus ille locum,

Nec mori, de corio cultellum promit acutum,  
Ille sed hesterni pane refertus erat.

Vidit, et admouit labijs sputoq; rigauit,  
Hac sordes gladij mollit arte sui.

Mollit, abstergit mappa, solitumq; nitorem  
Reddidit, ad quadram deposuitq; suam.

Hospes honoratas multis proponere partes  
Incipit, atq; cibos carpere quenque iubet.

Protinus

Prötinus in patina tectos pinguedine renes  
Rusticus esurie iam stimulante uidet.

Arripit, arreptos eoram se collocat, et mox  
Totos adiuncto pane uorare parat.

Aspicit hunc hospes, tacitoq; pudore rubescens,  
Leniter in risum uoce solutus ait:

Redde precor disco raptam modò patruë partē,  
Redde, nec ad stomachum congruit illa tuum.

Hancq; tibi melius quæ conuenit accipe carnem,  
Si bene consultum me tibi uelle putas.

Rusticus hæc contrà: uanas modò ponito curas,  
Non soleo hos illis præposuisse cibos.

Quas mihi cunq; dapes fors prima obiecerit, illas  
Obijcto duræ pharmaca certa fami.

His quoq; nul melius poni mihi partibus optem,  
Et bona uentriculo est quelibet esca meo.

Sic ait, et renes cunctis ridemibus, ore  
Deuorat, et patitur nil tamen inde mali.

Cum dominis alius mensa conserat hospes,  
Non satis hoc uisus dignus honore sibi.

Vnus erat gnarus carnes in frustra secandi,  
(Crede mihi non est illud inertis opus)

Ille rapit reliquo uul;os à corpore renes,  
Et dat honorato (res decet illa) uiro.

Hic tamen hoc tanto se non dignatur honore,  
Donaq; uicino porrigit ista suo.

Atque ita iam multi sibi proposuere uicissim,  
Qui renes uellet mandere nullus erat.

Hospitis

DE MORVM SIMPLIC.

Hospitibus ad quadram tandem uenere, sed ille  
Non putat hæc aliquo dona carere dolo.  
Et mihi cur placeat si displicet omnibus? inquit  
Cur ego, quæ cuncti damna timetis, amem?  
Dixit, & iratus medias proiecit in ædes,  
Ut canibus rapidis præda petita foret.  
9 Acta cano, ueniam da turpiter acta canenti,  
Fas mihi sit crasso crassa referre modo.  
Vir generosus erat, claraq; propagine natus,  
Consilio nomen iudicioq; premo.  
Ille suis meruit comitumq; ducumq; fauorem  
Moribus, & gestu ridiculisq; iocis.  
Ingenium propter ludi ad genus omne paratum,  
Principibus gratus coeperat esse uiris.  
Cuncta igitur quando sua seq; placere uidebat,  
Omnia quæ risum promere antur agit.  
Deniq; iam mediam iussus conscendere mensam,  
In medio posita mox stetit ille mora.  
Solicite spectant omnes, quos edere ludos,  
Quæ ioca, quo risu spargere digna uelit.  
Ille diu tacitus cunctis spectantibus astat,  
Quodq; erat orsurus præmeditatur opus.  
Detectis natibus tandem positoq; pudore,  
Egerit impuri stercora uentris onus.  
Exoritur plausus manuum, risusq; uidentum,  
Non alio poterat gratior esse modo.  
Mille igitur meritis retulit pro munere numos,  
Posthabiti merces illa pudoris erat.

INUNC

Inunc, & uitæ nimum studiosus honestæ,  
Præmia barbaricis moribus esse, nega.

## CAPVT VI.

Alia exempla ciuilitatum in euacuatio-  
ne uesicæ, uomitu, & alijs morum ele-  
gantij.

**I**mproba cœnantes urina potentius urget,  
Nectitur appositis cum mora longa cibus.  
Tunc aliqui longo (tanta est reuerentia multis)  
Tempore uesicæ triste morantur onus.

Heu fatui qui non rationem habuere salutis,  
Sed cumulant culpa damna pudenda sua.

Tu potius stultum sapiens de pore pudorem,  
Et potior uitæ sit tibi cura tuæ.

Surge uel in medio protractæ tempore cœnæ,  
Rupturæq; uterum deijce tutus aquas.

Siq; tibi quisquam surgenti improuidus obstat,  
Surgere, quantumuis sit grauis ille, iube.

Aut residens clausos uentris reclude meatus,  
Noxiaq; urinae quolibet unda fluat.

Ah ualeant rigidi nimum, nimumq; seueri,  
Rusticitas per quos optima crimen habet.

Que facis exemplo, iustè fecisse uideris,  
Nec tu qui faciat talia primus eris.

Nuper ad illustres epulas lætumq; uocatus  
Symposium iuuenis, non malè natus, erat.

Omnia regali iam stabant splendida luxu,  
Iamq; erat Ambrosijs mensa parata cibus.

L

DE MORVM SIMPLIC.

Ordine quisque suo se scemina uirq; locarant,  
Sumere propositas fercula grata dapes.  
Vix ab equo iuuenis properans descenderat alto,  
Iussus honoratum cum capit ille locum.  
Nec datur exutas spacium deponat ut ocreas,  
Aut quas urentes uener habebat aquas.  
Sic latus ad pulchræ sedit iuuenile puellæ,  
Cunctaq; iam rectè letus habere putat.  
Sed miser (ut nihil est ex omni parte beatum)  
Ab piget, exiguo tempore letus erat.  
Mox etenim sitiens ut largus improba sumpsit  
Pocula, uessicam triste grauabat onus.  
Nec tamen infelix audebat surgere mensa,  
Tanta uerecundi cura pudoris erat.  
Ergo diu secum sub pectore multa uoluitans,  
Cogitat hoc ingens qua leuet arte malum.  
Tandem igitur curis crescentibus, arripit audax  
Consilium, quod ei resq; locusq; dabant.  
Ocrea laxa femur iuuenile tegebat, in illam  
Nescio quid tacita dirigit ille manu.  
Atq; ita sub mensa manus officiosa moratur,  
Dissimulans operis facta pudenda sui.  
Donec onus madidi graue duceret ocrea uentris,  
Quod rapidae emissum more fluebat aquæ.  
Interea lateri quæ sedit proxima uirgo  
Aspicit, & letis uultibus esse iubet.  
Inde manum iuuenis, tantarum nescia rerum,  
Arripit, & quid adhuc tristia uoluis? ait.

Protinus

Protinus è latebris exterritus ille sinistram  
 Protulit, heu secum quid tulit illa mali?  
 O aliò castæ diuertite lumina Nymphæ,  
 Ne violent oculos turpia uisa pios.  
 Infelix inuenis mediæ super æquora mensæ,  
 Turpiter emissas eiaculatur aquas.  
 Non secus ac salium actæ Siphonibus undæ,  
 Stramineas flamma depopulante domos.  
 Heu miser in fausto petijt conuiuia cœlo,  
 Nec positus felix ætheris ille fuit.  
 Atque ita non paruo derisus tempore sedit,  
 Mœstaq; in aduersa lumina fixit humo.  
 Inde mero tantas pellemæ è pectore curas,  
 Tandem animi posito uix rediere metu.  
 Nec mora, lætitiâ uino faciente, choreas  
 Institutum sumpto foemina uirq; cibo.  
 Tunc inuenis, licet inuitus, cum uirgine pulchræ  
 Cogitur ad tactam crura mouere chelyn.  
 Ad numeros tellus pedibus pulsata gemiscit,  
 Inq; sonant tota iubila læta domo.  
 At quoties saltans inuenis uestigia figit,  
 (Laxus erat miētis pero refertus aquis)  
 Nescio quem toties sonitum ocrea turpiter edēs,  
 Facta aperit domini dissimulanda sui.  
 Exoritur totas risusq; iocusq; per ædes,  
 Materiam damno præbuit ille suo.  
 Protinus ut finem longæ fecere choreæ,  
 Consilium tantis querit opemq; malis.

## DE MORVM SIMPLIC.

Exiit ingrato pellem liquore fluentem,  
In medio matrum uirgineiq; chori.  
Datq; suo famulo, famulus suspendat ad ignem,  
Feruidus imbibitas elicit ignis aquas.  
Fortè locus medijs erat in penetrabilibus ædis,  
Quo recreant fessi corpora lassæ uiri.  
Huc famulus domini peronem utrunque ferebat,  
Ad nitidi figens lignea fulcra tori.  
Tunc iuuenis curas animo deponit inanes,  
Et reliquos inter gaudia lætus agit.  
Iamq; serè mediam tangebant sidera noctem,  
Postq; merum somnos carpere tempus erat.  
Ergo sui pariter lecti loca quisque petebant,  
Occupat optatus lumina fessa sopor.  
Unus erat reliquos inter stultissimus unus,  
Qui nimio implerat uiscera laxa cibo.  
Cumq; alij dulcis fruerentur munere somni,  
Hunc tumidi uentris sollicitabat onus.  
Surgit, et è clauso gressus efferre cubili  
Tentat, ut hoc damno uiscera plena leuet.  
Claustra sed incassum Camera reserare laborat,  
Nec patitur longam res peragenda moram.  
Protinus ad lectum quòd pendeat ocrea sentit,  
Et citus hanc una corripit ille manu.  
Duraq; cum liquidis in eam quæcunq; grauabant  
Deiicit, inq; suum se locat inde torum.  
Vix rutila primas lustrabat lampade terras  
Phœbus, ab Eo qui uehit orbe diem.



Et memor hesternæ iuuenis iam deniq; culpa,  
 Ire domum propero mane parabat equo.  
 Crura festinans ocreis armabat, et ecce  
 Turpiter humano plena erat una fimo.  
 Quid faciat? clamet? iocus excitet ille cachinnum,  
 Ergo tacet, tantum dissimulatq; scelus.  
 O miser, o talis fugias conuiuia cœnæ,  
 Quam referas non est gloria magna domum.  
 Magnus es, et magni titulo insignitus honoris?  
 Officiūne tua consul in urbe geris? 4  
 Omnibus ignotas ueniens peregrinus ad oras,  
 Commemora officij nomina tanta tui.  
 Publicæ maiestas per te minuetur, et ordo,  
 Si, quod es, ignotum turpiter esse uoles.  
 Si tamen ut proda occasio nulla uidetur  
 Comoda, nec præstò qui roget, ullus erit.  
 Hic etiam exemplum, præsens aduerte, docebo,  
 Idq; sequens uitij labe carere potes.  
 Magnus in hospitium ueniebat nobile Doctor, 1  
 Claudere iam lapsum sole parante diem.  
 Protinus hic alij quoque conuenere sodales,  
 Nec mora dispositis accubere toris.  
 Nullus erat tota Doctori notus in æde,  
 Nec domino quisquam qui loqueretur erat.  
 Spretus in extrema scabelli parte sedebat,  
 Aspiciens tacito lumine mœstus humum.  
 Fercula sumebat tristi non grata palato,  
 Ipsa quoque ingrati uina saporis erant.

DE MORVM SIMPLIC.

Tantus amor meriti miserū stimulabat honoris,  
Cura ferè ut pectus ruperit illa uiri.  
Ingenium tandem, uino subeunte, calescit,  
Prodit ex hac nomen callidus arte suum.  
Demit ab intonso, qua tectus, crine Tiarā,  
(Officium domino præstet ut illa suo)  
Hanc muri appendit suffixā in parte propinqui,  
Verbaq; mox clara talia uoce sonat:  
Et satis indultum tristi reor esse rigori,  
Fastandem læta fronte sit esse mihi.  
Pendeat austerus uicino pariete Doctor,  
Non mihi sunt isto iura legenda loco.  
Ergo ne Doctoris titulus mea gaudia turbet?  
Lætitiāq; frui nomen inane uetet?  
Non mihi iam tanti est maiestas nominis huius,  
Sed patriæ repetens moenia Doctor ero.  
Dixerat, at reliqui modò seq; uirumq; tuentes,  
Quid facerent dubij, quid loquerentur erant.  
Doctori simul assurgunt, ueniamq; precantur,  
Utq; uelit prima sede sedere rogant.  
Inde uiro ingentem craterem quisque propinant,  
Redditus hac illi est arte negatus honos.  
6 Sic ubi nonnullo fueris decoratus honore,  
Sederit aut humeris publica cura tuis,  
Concipe te dignos animoso pectore fastus,  
Egregium meritis nomen adeptus habes,  
Cur te contemni stolidus patiaris ab ullo,  
Non ego te fatear, si patiare, uirum.

Accidit

Accidit id magno (pudeat) quandoq; Magistro,  
Ferret ut immensum dedecus ille domum.  
Ille diu studijs animum exornarat honestis,  
Iamq; uir eximius, iamq; Magister erat.  
Ergo nouo patrios uult auctus honore penates  
Visere, natalis tactus amore soli.  
Iamq; iter ingressus lucem confecerat unam,  
Fessus et hospitium sole cadente subit.  
Venit in hospitium uirgo quoque nobilis illud,  
Virgo uerecundis conspicienda genis.  
Tempus erat cœnæ, mensaq; locantur eadem,  
virgineo lateri proximus ille fuit.  
Tum uerò incesit non parua superbia mentem,  
Turgidior cunctis ille Magister erat.  
Præ cunctis uoluit quoq; dignus honore uideri,  
Visus, & ut uoluit, dignus honore fuit.  
Unus erat, tantos fastus qui ferre Magistri,  
Pectore non posset dissimulante diu.  
Nanq; erat antè uiro quoq; consuetudine iunctus,  
Et socium nuper nouerat esse suum.  
Ergo ut erat technas artemq; instructus ad omnē,  
Tentat honoratum dedecorare uirum.  
Omniaq; obseruat quæcunque agit ille, dolose,  
Cura animi, tum dum frangere pectus, erat.  
Dumq; obseruari nescit sua facta Magister,  
Admouet ab capiti leniter ille manum.  
Admotaq; manu gestum scalpentis habebat,  
Hæc ignominie causa reperta fuit.

DE MORVM SIMPLIC.

Tunc etenim raptor tani insidiosus honoris,  
Non expectatos hos dedit ore sonos. (ster,  
Sextipedes tot adhuc uermes uenerande Magi.  
(Quot nuper) toto corpore morsus alis?  
Dic, nihil unguentum tibi profuit ergo, quod illas  
Bestiolas contra pharmacopola dedit?  
Ille sua certè perhibetur in arte peritus,  
Temperat & docta pharmaca certa manus.  
Dixerat hæc uultu tanquam sint uera se uero,  
Nec risu fictum prodidit esse iocum.  
Ora sed immenso confusus honesta pudore,  
Mutus ad hæc subito uerba Magister erat.  
Ira pudorq; animum sic infregere tumentem,  
Straueruntq; adeò nobile pectus humi:  
Ut neq; se uerbo saltem defenderit uno,  
Nec delusorem plesteret ille suum.  
7 Ille sit exemplo tibi, ne patiaris eadem  
Impunè à quoquam te ratione capi.  
Siq; uides alium, digno quem uulgus honore  
Afficit, & primas semper habere iubet:  
Illius ut minuas nomenq; decusq; labora,  
Crescere uix alia tu ratione queas.  
8 Nobilibus iunctus dominis auriga sedebat,  
Sumere cum tamis uina cibosq; uiris.  
Vina simul cunctis cratère bibuntur eodem,  
Ordine per uarias circuit ille manus.  
Circuit, inq; manus aurigæ peruenit, ille  
Hinc quoq; sed tergo non prius ore, bibit.

Sic

Sic igitur multa reliquum pinguedine uinum  
 Inficit, in labijs hæserat illa uiri.  
 Res ea displicuit multis, sed nullus aperta  
 Sustinet autorem, carpere, uoce, mali.  
 In sua sed duram statuunt conuiuia legem,  
 Qua caueant tantum præueniantq; celus.  
 Sordibus hæc ullis qui uina infecerit, unus  
 Symbola pro cunctis soluito symposij.  
 Rusticus hanc legem contra sua crimina ferrè  
 Semit, et hoc pœnam suffugit inde modo.  
 Quando calix ad eum iusto uenit ordine, totum  
 Ebibit, ebibiti uertit ad astra pedem.  
 Atq; ita conuersum dominis ostendit, et inquit,  
 Iamne ego me culpam non meruisse putem?  
 Ecquid adhuc aliqua sordes superesse uidentur?  
 Cuncta equidem Cyatho quæ latuere tuli.  
 Artibus his utens auriga impunis abiuit,  
 Hoc erat ingenij multa uidentis opus.  
 Missus erat patriæ communis nomine Consul,  
 Paupere ad eximium nuper ab urbe ducem.  
 Paucula qui domino donaret uina, nec ille  
 Immemor innatæ simplicitatis erat.  
 Principis ut uultum coràm conspexit et ora,  
 Membra uiri gelido diriguere metu.  
 Astitit et uerbum profari nescius hæsit,  
 Qualiter ad uisum contremuit agna lupum.  
 Tum dominus (trepidare uirū quia sensit) amico  
 Alloquio, forti es pectore Consul, ait.

## DE MORVM SIMPLIC.

Protinus erectus Consul sua pilea demit  
Crinibus, & digitis illa, diuq; rotat.  
Et tandem uoces ausus iactare per aulam,  
Talia deposito uerbatimore refert:  
O patriæ princeps huius pulcherrime salue,  
Et mea non duro pectore uerba cape.  
Fama diu nostra constans auditur in urbe,  
Quàm tibi sit nimij copia grata meri.  
Quodq; bonos inter socios noctesq; diesq;  
Pocula de Bacchi plena liquore bibas.  
Nos igitur gratum munus præstare uolentes,  
Mittimus hæc nostro dulcia uina Duci.  
Talia quottidie nos, cum meliora negantur,  
Vina per arentem cogimus ire gulam.  
Credo quòd illorum hic uobis sit rarior usus,  
Pocula non quiuis talia habere potest.  
Sic ait, & profert uinum quod ueste latebat,  
Ante oculos domini constituitq; sui.  
Plenaq; fortè uidet lapsas in pocula sordes,  
Nescio quas, pennæ uel leue stramen erat.  
Dumq; diu secum quibus artibus eximat hæret,  
In uarias flectit lumen utrunque uias.  
Nec mora, quo tollunt ustum de lumine lychnum,  
Organon in mensa fortè iacere uidet.  
Aspicit, & tales adhiberi credit ad usus  
Credit, & extemplo tollit utraque manu.  
Tollit utraque manu, mittitq; in pocula uini,  
Mittit, & hoc sordes eximit inde suas.

Protinus

Protinus hinc domino non paruum præbibi hau

Et repetit patriæ moenia parua suæ. (stum,

Non ego de uino iam dicere plura uolebam, 10

Sed me potores dicere plura iubent.

Tendimus ad finem, facinus tamen amè uel unum

Accipe, Symposij post modò finis erit.

Pocula non uno producta in palmite quidam

Hauferat, & uarijs edita uina iugis.

Illa diu magnos agitabant uentre tumultus,

Quodq; alij nullum cedere uellet erat.

Non ea potori bella intestina placebant,

Et militans tales edidit ore sonos:

Vnde mihi hæc tanto surgit discordia motu?

Vnde repens litis causa mihi illa uenit?

Dicite quæ tantos mouistis uina tumultus,

Cur ego uos magno uicta labore bibi?

Aut pacem positis agitate intrinsecus armis,

Mutuaq; accepta foedera imite fide.

Aut ego uos ista deturbans arce repellam,

Ructaboq; uomens, eijciamq; foras.

Dixerat, & nondum seuo cessante tumultu,

Imperij uanas noluit esse minas.

Et simul in uacuas nuper quæ sumpserat auras,

Præcipitat uomitu dulcia uina foras.

Nec mora turbati requierunt aspera uentris

Prælia, pax læta candida fronte redijt.

Tu quoq; cum simili tua surgent uiscera pugna,

Si sapias, artibus his utere, liber eris.

Sicq;

## DE MORVM SIMPLIC.

*Siq; tibi eueniat, quod cuidam contigit olim,*

*Clarior est uomitus fama futura tui.*

*Quod simul ut noris, paucis aduerte, docebo,*

*Vtilis in multis hæc tibi praxis erit.*

**11** *Pocula sumebant unà Lenæa sodales*

*Largius, & requies nulla laboris erat.*

*Horum aliquis crebros edebat gutture ructus,*

*Turpiter, hæc uomitum signa præire solens.*

*Huic alius proprio demptam de crine Tiaram*

*Exhibet ad præsens officiosus opus.*

*Sumptaq; uentriculus si uina regurgitat æger,*

*Huc mihi quicquid habes euome tutus, ait.*

*Dixerat, ille aperit fumantia ructibus ora,*

*Crudaq; per stomachi uina refundit iter.*

*Iamq; in pileolo uinumq; cibusq; natabant,*

*Tristior hoc alibi non odor ullus erat.*

*Alter ut impletam uomitu uidet esse Tiaram,*

*Immemor officij non sedet ille diu.*

*Verum ut erat capiti uicini imponit, & omnis*

*Materies toto corpore fusa fluit.*

*Exoritur plausus iocularia facta uidentum,*

*Et uenit hæc tota fabula grata domo.*

*Qui uomuit uana nequicquam accenditur ira,*

*Digna q; pro meritis præmia nactus, abit.*

### CAPVT VII.

*Alia exempla de crepitu & ructu Orato-  
rum, retentione urinæ, & alijs rustici-  
tatibus.*

*Qualis*



**Q**ualia conigerint inter conuiuia dixi,  
 Nunc alia, atq; alijs accipe gesta locis.  
 Missus ad externas Orator maximus oras  
 Nuper erat, lingua consilijsq; ualens.  
 Virgineo in cœtu, dominaeq; ante ora potentis  
 Debit eloquij tela ciere sui.  
 Utq; in conspectu dominae data copia fandi,  
 Sollicitus grauitè lumina figit humi:  
 Iamq; soluturus facunda uiriliter ora,  
 Ut solitum fieri, flectit utrunq; genu.  
 Sed quia se nimium miser incuruabat, in auras  
 Edidit ingratum uentre crepante sonum.  
 Nil tamen hoc factò perterritus, absq; rubore  
 Prosequitur causæ cœpta seuera suæ.  
 Dissimulant omnes crepitum audiuisse, sed una  
 Non bene quæ risum uirgo teneret, erat.  
 Dumq; sibi indulget nimium ridere loquentem,  
 Ah malè uirgineas claudit inepta nates.  
 Et tenuem uentris crepitum subtiliter edit,  
 Audieris, lyricum dixeris esse sonum.  
 Tū memor admissi Rhetor, sua cœpta relinquens,  
 Virgineum alloquitur uerba per ista chorum:  
 Pergite sic uentos ex ordine pergite Nymphæ  
 Mittere, quos longum concinuisse nocet.  
 Inde ubi me rursus quoq; mittere iusseris ordo,  
 Cfficij peragam munia cuncta mei.  
 Illico uirgineas perfusa rubedine malas,  
 Deijcit ab oculos mœsta puella suos.

DE MORVM SIMPLIC.

At reliqua ingenti risu quatiuntur, & illo  
Solvitur actutum concio coepta modo.  
Sed recitare disertorum quia gesta uirorum  
Coepimus, inceptum concinuemus opus.  
Principis excelsam magnis de rebus ad arcem  
Ingenio Rhetor diuite missus erat.  
Vestibus indutus quas tellus serica mittit,  
Eximio uisus dignus honore fuit.  
Nulla mora est igitur, patet inclyta principis ausu  
Plenaq; dicendi est copia facta uiro. (la)  
Incipit altisonis exordia grandia uerbis,  
Fulminat et tumido lingua diserta sono.  
Verba sed assiduos edit post singula ructus  
Turpiter, hesternae signa pudenda dapis.  
Huic uitio teneris demens assuêrat ab annis,  
Nullaq; iam poterat tollere cura malum.  
Auribus hos princeps ructus accepit, & agra  
Indecores mores factaq; mente tulit.  
Disimulat tamen, & placato Rhetora uultu  
Aspicit, ac tandem talia uerba refert:  
Non equidem inuitas istis sermonibus aures  
Præbeo, facundo clare uir eloquio.  
Sed quia iam regni grauiora negotia surgunt,  
Crastina ad inceptum luce redibis opus.  
Interea uarias princeps sub pectore technas,  
Et uarios uaria cogitat arte dolos.  
Postera lux aderat, Rhetorq; uocandus ad aula,  
Ut coeptam causam prosequeretur, erat.

Fortè

Fortè erat abiectæ uir conditionis in urbe,  
 Vile ministerium cui libet ære locans.  
 Is poterat crepitus emittere uentris in auras  
 Semper, & arbitrij pro ratione sui.  
 Hunc uocat, & uerbis princeps affatus amicis,  
 Arte tu, nobis nunc opus, inquit, erit.  
 Inde uiro uestem dignam Doctore, Tiaramq;  
 Induit, et quæ sint postea agenda docet.  
 Rhetor ad inceptū rediens, sua fulmina torquet,  
 Et repetit ructus continuatq; suos.  
 Alter item toties, solitæ non immemor artis,  
 Parte sui clarum posteriore crepat.  
 Quid faciat Rhetor? malè fert, atq; æstuat ira,  
 Alterius facile cernere crimen erat.  
 Respicit, & mores reprehendere cogitat illos,  
 Sed dubium in partem traxit utranq; pudor.  
 Senserat id princeps, & amica fronte diserto  
 Talia subridens Rhetori uerba refert:  
 Hic etiam Doctor longinquis missus ab oris,  
 De grauib; nobis dicere rebus habet.  
 Utq; subinde noui ructus tua uerba sequuntur,  
 (Forsan & in patria mos uiget ille tua)  
 Non aliter crepitus hic uerba ad singula pronit,  
 Et patrium à teneris unguibus illud habet.  
 Dixerat, & tacuit Rhetor delusus abiuit,  
 Et medio cœptum transte rupit opus.  
 Historiam rerum quidam narrare nouarum  
 Cœperat, & longam fecerat ille moram.

Huic

## DE MORVM SIMPLIC.

Huic aliquis cupidus adhibebat sedulus aures,  
Rebus & attentus quas recitabat erat.  
Interea plenam uesticam urina grauabat,  
(Triste diu uentris non bene fertur onus)  
Sed miser historiae nimia dulcedine captus,  
Narrantem, durum negligere, esse putat:  
Fortè breui bursam factam de pelle gerebat,  
Condere qua solitus cusa metalla fuit.  
Hanc rapiens undis uentrè torquemibus implet,  
Dum capiat finem fabula coepta suum.  
Nouerat urinam multis nocuisse retentam,  
Id metuens pulchra consulit arte sibi.  
Nuper enim doctor pietate insignis & aeuo,  
Pertulit indigna fata dolenda necis.  
Cum teneris currum conscenderat ille puellis,  
Virginibusq; sedens undique cinctus erat:  
Iamq; per haud paucas securus sederat horas,  
Nil nisi de casta uirginitate loquens.  
Plena sed attracto turgens uestica liquore,  
Præproperam tacita uoce petebat opem.  
Non tamen à curru descendere sustinet amens,  
Sed premit ingenti triste dolore malum.  
Tanta uiro fuerat casti reuerentia coetus,  
Ut faceret uitæ tristia damna, suæ.  
Nanq; redundanti uestica grauata liquore,  
Viscera per diras rupta refudit aquas,  
In fera sic paucis concessit fata diebus.  
Hoc tubit à stulto grande pudore malum.

Id metuens quasuis potius conuertere ad artes,

Quam subeas uitæ tanta pericla tuæ.

Hæc quoq; uisa fuit mihi fabula digna referri,

Quæ ueteris multum simplicitatis habet.

Nuper ab antiquo superans, puto, rusticus æuo,

(Simplicius nostro scilicet illud erat)

Accedit ueterem, cui non ignotus, amicum,

Verbaq; multiplici plena salute refert.

Iamq; manum manui dextræ coniungere dextrâ,

Pignus amicitiae quod solet esse, parat.

Sed prius impletis mucorem naribus aufert,

Turpiter hunc plena continet ille manu.

Atq; ita dilecto dextram protendit amico,

Sitq; tibi hæc nostri pignus amoris, ait.

Scilicet id metuit, ne rustica durior æquo

Possit honoratum ledere palma uirum.

Prouidus ergo uolam subleuit phlegmate molli,

Hoc facinus parue non erat artis opus.

TALIA facta quæ a numero sine multa referre,

Quæ monitus possis non sine laude sequi.

Sed liber in magnum mihi cresceret iste uolumen,

Si tibi perscribi carmine cuncta uelis.

Ingenio ipse tuo nunc utere, scilicet ipse

Me sine, sat simplex esse rudisq; potes.

Me præcepta iubet breuibus cõprehendere Flaccus,

Singula quò docili mente notare queas.

Quos tamen haud multos uersus in fine libelli

Adiicio, memori mente notare uelis.

DE MORVM SIMPLIC.

*Simplicitas antiqua uirum leta arua colentum,  
Rusticitasq; rudis sit preciosa tibi.  
Sed quaecunque solent homines laudare seueri,  
Neglige, quid rigida cum grauitate tibi?  
Si poteris risum stomachumq; mouere quibusuis,  
Officio functum te rear esse tuo.  
Iamq; uale iuuenis morum studiose bonorum,  
Quaeq; tibi dono, consule pauca boni.*

CAPVT VLTIMUM.

**GROBIANA**, siue de moribus quae  
uirgines deceant, tum domi, tum in  
publico, & in conuiujs, & alibi.

**S** At mihi iam dudum dixisse superq; uidebar,  
Et finem monitis imposuisse meis.  
Sed tenerae blando me poscunt ore puellae,  
Utq; rogant ipsas pauca docere uelim.  
Quid faciam? iustasne preces auerfer? & illa  
Irrita difficilis uota fuisse sinam?  
Non equidem faciam: cupidas aduertite mentes,  
O mihi foeminei turba colenda Chori.  
Pauca loquar saltem mores formantia uestros,  
Pauca sed illa tamen commoda multa dabunt.  
Nil opus est longo uos carmine multa doceri,  
Vincitis en ipsos rusticitate uiros.  
Ad mala uos ultrò facilis natura, uel omnes  
Instruit, officio nil eget illa meo.  
Quae tamen Amistes uatum mihi dictat Apollo,  
Accipite, haud falsa cuncta relata fide.

Huc

Huc ades ô mores exosa puella modestos,  
 Huc ades, ut monitis erudiare meis.  
 Quando per urbanas iter ingrediere plateas,  
 (Nil ego quo cultu sis onerata moror)  
 Lumina permittes quocunque proterua uagari,  
 Omnia quò retrò cernere, et amè queas.  
 Quæ sibi nullius est mens conscia criminis, audet  
 Lumina deposito recta leuare metu,  
 Atq; hominem quemuis erecta fronte tueri:  
 Quæ sibi mens culpæ est cōscia, spectat humū.  
 Inde manu uestes prudens utraque leuabis,  
 Sordida si multo sit uia facta luto.  
 Candida quò possint tua crura, et utrunq; uideri  
 (Altius ô pudeat tollere uelle) genu.  
 Fortè ea res iuuenum tibi conciliabit amorem,  
 Quiq; sibi sponsam te petat unus erit.  
 Nec mihi displiceat, te taliter ire uidemi,  
 Oblita quòd foedo sint tua crura luto.  
 Arguit impositi studium res illa laboris,  
 Quem uigil assidua sedulitate subis.  
 Ociā nam pedibus data nulla fuere lauandis,  
 Officio inuigilas dum studiosa tuo.  
 Pectore nudato prodire sinuq; patente  
 Quàm deceat, certè quisque uidere potest.  
 Lactea colla oculis pateant, teretesq; papillæ,  
 Grata puellipetis res erit illa procis.  
 Nō ego tam stupidus, nec ero tã barbarus unquā,  
 Quin mihi te talem sæpe uenire uelim.

DE MORVM SIMPLIC.

„ Quæ bona sunt oculis manifesta, merentur amari,

„ Quæq; latent, nulli cognita, nullus amat.

4 Quæ tibi cunq; uenit, quondam tibi nota, sodalis

Obuia per mediam foemina facta uiam:

Nil opus est dicta prius acceptaq; salute,

De rebus uarijs incipe multa loqui.

„ Hei mala multa premūt miseras et magna puellas,

„ Omnia quæ tenero sunt toleranda gregi.

Huic grauis est rigida nimium censura parentis,

Iurgia terrifico quæ tonat usque sono.

Imperium dominae malè sustinet illa superba,

Subdit & indigno libera colla iugo.

Hei mihi quàm multas fallax decepit amator,

Promissam ueritus nil uiolare fidem.

Hinc igitur semper quæ multa queraris habebis,

Vtere naturæ dote puella tuæ.

„ Foemineum omne genus fecit natura disertum,

„ Id mulier donum coelitus omnis habet.

Ergo diu nihili de rebus multa loquêris,

De nihili rebus discere multa uoles:

Illam decem duret tibi fabula coepta per horas,

Antè tibi turpe est uelle redire domum.

Interea si te (quod uix tamen accidet unquam)

Deficiet tanta res agitanda mora:

Inspectos aliorum hominum reminiscere mores,

Hic tibi dicendi campus apertus erit.

Qua ratione suos uicinus quisque gubernet,

Exigat & uitam qua ratione suam.

Fercula



Fereula quæ ponat mensis, quæ pocula sumat,

Illius & quantas arca reseruet opes.

Omnia quis numeret, quæ multa diuq; uolenti

Dicere materiam suppeditare queunt?

Quælibet audacter dices de quolibet, illud

Est licitum, sexus pro ratione tui.

Si tamen incipies aliorum lædere famam.

Plus facies libri quàm docuere mei.

Hinc ab ea quando fueris digressa, domumq;

Imposito nugis sine redire uoles:

Inuenies ob iter uenalia poma, nucésue,

Vel pyra, quæ lauto multa uidere foro est.

Talia præteriens obolis tribus empta parabis,

Nonnihil ut cupida gratificare gula.

Inq; uia, medioq; foro, quocunque uidente,

(Et quis erit qui te carpere possit?) edes:

Qui tibi quadrantem minimum conferret ementi

Nullus erat: precio stant tibi cuncta tuo.

Interea uarios qui proferat histrio ludos,

In medias ueniet plebe uocante uias.

Edet is insano spectacula plurima uulgo,

Hac sibi quò tenuem colligat arte stipem.

Multa profanus aget, petulans sed plura loquetur

Turpiter, & grauibus non placitura uiris.

Te tamen his oculos aduertere uirgo patentes,

Omniaq; attenda mente notare, uelim.

Et dare lasciuis patulas sermonibus aures,

Doctior ut possis inde redire domum.

DE MORVM SIMPLIC.

Turpia siue uides, seu percipis aure, putato

Tingere uirgineas turpe rubore genas.

Conscia commissi tibi criminis esse ferêris,

Purpura si malas pinxerit illa tuas.

Si color in uultu semper tibi manserit idem:

illa uia ad laudem pronior esse potest.

Non reste credent intellexisse profanas,

Quòd fugiant annos turpia dicta tuos.

Sitamen & risu malè sana probâris aperto,

Quæ fieri cernis, cuncta placere tibi:

Nullus erit qui te nostri præcepta libelli,

Et monitus auidè non didicisse putet.

8 Nec tibi displiceant hilares conuiuia coetus,

Quæ celebrant iuuenes quæ celebrantq; uiri.

Siq; meos audis monitus & iussa docentis,

Te quoq; symposijs semper adesse uelim.

Inter enim potos iuuenes, uinoq; madentes,

Multa audire potes, multa uidere potes.

Vnde tibi uitæ sumas exempla, profectò

Rusticitas illo regnat inepta loco.

Nec nihil esse puta iuuenum perdiscere mores,

Quæ uitia abstruso pectore quisque tegat.

„ Ingenium, uino mentem superante, patefcet,

„ Vina solent animum prodere larga uiri,

9 Forsan et adfuerit, quem speres nupta maritum,

Hunc etiam, qua sit mente, probare potes.

Cuius ut in genum melius perdiscere possis,

Asideas domino proxima uirgo tuo.

Et

Et quid agat potus, quæ denique uerba loquatur,

Quamq̄, auidè sumat pocula plena, notes.

Quis scit an obtineas, animos faciente Lyæo,

Vt tibi promittat fœdera sancta tori?

Quoq̄; magis letum uideas & amore calentem,

10

Non numium tuus est dissimulandus amor.

Ingentem Cyathum iuueni tu læta propines,

Sic erit exemplo lætior ille tuo.

Euacuesq̄; uno Cyathum quem præbibis haustu,

De ueteri plenus sit licet ille mero.

Et tibi potando mox ut respondeat ores,

Hoc animi poterit pignus habere tui.

Inde etiam quicquid tibi præbibet ille uicissim,

Accipias facili nilq̄; morata manu.

Acceptumq̄; auido, quia præcipit ille, palato

Euacues: annos res decet illa tuos.

Moribus his iuuenis tuus exhilaratus, in imo

Impatiens curæ pectore uulnus alet.

Indubijsq̄; suum signis iam prodet amorem,

Tempore qui longo dissimulatus erat.

Iam teretes manibus uolet attrectare papillas,

11

Cæteraq̄; in toto quæ latuere sinu.

Non equidem quin tu patiaris cuncta uetabo,

Cur mihi displiceant quæ placuere tibi?

Non mea res agitur, tua saltem fama laborat,

Fama nequit multos integra ferre iocos.

Heu mihi quàm facile est amittere nomen honestū,

Quod perijt ingens est reparare labor.

c c

c c

c c

Et

DE MORVM SIMPLIC.

- 12 Quid tamen & noceat, blanda iam uoce rogare,  
Quæ tibi det potus munera magna procus.  
Cum simul & cæco iuuenis stimuletur amore,  
Et simul assumpto cor calet ille mero:  
Multaq; promittat, licet & iam plurima donet,  
Ut tamen acceptis plura det usque roga.  
Munera nulla boni, quantumuis magna putentur,  
Consule, sed parcas usque querere manus.  
Ipsa quoq; interdum, quò uel meliora reportes  
Munera, amatoripaucula dona dabis.  
Nec tamen hîc ueterem Nasonis tradimus artem,  
Diuersa est studio meta petita meo.  
Ludere deceptum si delectaris amantem,  
Non potes è nostro discere multa libro.  
Perlege Peligni uersus studiosa Poëta,  
Quod petis à nobis aptius ille dabit.
- 13 Florea uirginei capitis decus esse corona,  
Eq; maris uiridi rore parata, solet.  
Hanc tamen insan tu consuetudine uulgi  
Simpliciterq; comis imposuisse, caue.  
Simplicitas prijsis fuit hæc laudabilis annis,  
Nunc alios mores tempora nostra ferunt.  
Quod nimis est, laudem nullã, uulgare, meretur.  
Sed quæ facta nouo more fuere, placent.  
Ergo tibi naso sit cura appendere sertum,  
Ut mediam frontem luminaq; ipsa tegat.  
Cur monëam tali te pendere more coronam,  
Stultula me causas credis habere leues?

Floribus

Floribus è uarijs, & non malè olentibus herbis,  
 Quam geris, ò uirgo, facta corona fuit.  
 Suauiter hoc nasus tuus afficietur odore,  
 Suavis odor cerebro proderit ille tuo.  
 Ille odor ætherias frustra exhalabit in auras,  
 Ni subeant nares florea sarta tuas.  
 Non pudeat tenerum tecum duxisse catellam, 14  
 Qui faciat ludos deliciasq; tibi.  
 Est quoq; cum clausa uentris corruptus in aluo  
 Excruciat magno uiscera tensa malo:  
 Tunc tacitus uacuas erit emittendus in auras,  
 Qui nimij uentus causa doloris erat.  
 Hic poterat teneras nares offendere foetor,  
 Forsan & autorem dedecorare suum:  
 Sed canis officium dominæ præstabit honestæ,  
 Impositi culpam criminis ille ferat.  
 Aëraq; ingrato uitiasse putetur odore:  
 Verba tibi contra dicere nulla potest.  
 Perpetuas agitant pulices & scœmina lites, 15  
 Bellaq; in æternum non dirimenda gerunt.  
 Insidias paruus tenebris defensus iniquis,  
 Collocat, exiguo pungat ut ore pulex,  
 Fœmineoq; suum mordax in corpore rostrum  
 Figit, & in tenera spicula dura cute.  
 Exagitat miseræ adeo dolor ille puellas,  
 Ut positis ineant aspera bella moris.  
 Tu quoq; lucifugo quando infestaris ab hoste,  
 Fortiter ultrici corripe tela manu.

DE MORVM SIMPLIC.

Siue domi sæuis te ledere morsibus ausit,  
Siue cruentatote petat ore foris.

Nilq; tua refert hinc multa quod adstet, et illinc,  
Quæ uideat mores turba aliena tuos.

Vestibus excussis inimicum quære latentem,  
Supplicium sceleris captus ut ille luat.

Fortiter è latebris captiuum protrahere, nec te  
Parcere res hosti mouerit ulla tuo.

Exemplum metuent alij crudele, tuumq;  
Qui latus inde ausit pungere nullus erit.

Non alia poterit tibi pax ratione parari,  
Quin tuus ad manes perditus hostis eat.

26 Nunc etiam exemplum, ne quid tibi deesse queras  
Accipe, quod uita dirigat acta tuæ. (ris,

Publicus antiqua conuenus in urbe uirorum,  
Quo non exiguae res agerentur, erat.

Venerat huc mulier rerum studiosa nouarum,  
Et quæ uellet agi, plurima uidit agi,

Interea multas dum res differtur in horas,  
Ab miseram pleni corporis urget onus.

Pondere concoctæ uenter distenditur escæ,  
Submissoq; petit murmure tensus opem.

Illam rei auditiæ nimia dulcedine capta,  
Noluit inceptam deserere historiam.

Fortè igitur peram qua libros ferre solebat,  
Quos legit assidua relligione, gerit.

Accipit hanc, et uentris onus deponit in illam,  
Dum capiat finem fabula cœpta suum.

Hunc

Hunc etiam uirgo disces, ego suadeo morem,  
 Is tibi qua proffit hora uenire potest.  
 Tempora sed demens quid contero multa monen 17  
 Cum liceat uerbis dicere cuncta tribus. (do?  
 Omnia quæ generi iam sunt præcepta uirili  
 Tradita, tu uitæ transfer ad acta tuæ.  
 Nec tamen esse putē tibi congrua cuncta, sed ipsa  
 Cernere quid deceat dedecetq; potes.  
 Nullius affectes laudem sapientis ab ore,  
 Nec tibi sit rigidis cura placere sophis.  
 Sed mihi te saltem formandam trade Magistro,  
 Atq; tua imperio subijce colla meo.  
 Scilicet ad uitam tibi præuius ibo modestam,  
 Discere quam melius non aliunde potes.  
 Pluraq; iam poteram præcepta salubria morum  
 Tradere, non animo displicitura tuo.  
 Sed mea me fessos reuocare Thalia iugales  
 Et medio cursu rumpere cœpta iubet.  
 Ergo uale, & si quid monitis profeceris illis,  
 Prospera doctori fata precare tuo.

CONCLUSIO AD SIMO-  
NEM BINGIUM.

In qua huius operis consilium & utilita-  
tem indicat. (quor,

**H**oc duce te Bingi tandem superauimus &  
 Te laceræ dextram subijcieme rati.  
 Non ego me uasto temerè committere ponto,  
 Et maris insani fluctibus ausus eram.

Sed

## CONCLUSIO.

Sed tua me pietas animauit, & absque timore  
Fortiter insolitas iussit inire uias.  
Tuq; dabas uentos bonus in mea uela secundos,  
Ut faceret cursum nostra carina suum.  
Nunc tenet optatos longo sibi tempore portus  
Puppis, & emensis tuta quiescit aquis.  
Si fuit infelix nostræ uia trita Celoci,  
Nec tenuit iustum quod decuisset iter:  
Non tuus est nobis fauor accusandus: & omnis  
Ingenij certè culpa erit illa mei.  
Qualicumq; tamen portum ratione tenemus,  
Vna erat hæc uotis meta petita meis.  
Ergo tibi nauim seruati & uela dicamus,  
Accipe, nos fidei tradimus illa tuæ.  
Ut laceram à tumidis puppim defende procellis,  
Lædere tempestas neu queat ulla, ueta.  
Nil etenim nobis littus tenuisse petitem  
Proderit, & tantam continuasse uiam:  
Ni fauor ille tuus uel nunc mea uela sequatur,  
Et solitam nobis seruet ut antè, fidem.  
Sæua uel in portu submersos obruat unda,  
Quæ fuit insanis exagitata Notis.  
Tu potes incertam, uelut anchora, sistere prorã,  
Eia age præsidio tuta sit illa tuo.  
Suscipe tutelam nostri, clarissime Bingi,  
Carminis, & curam quam potes huius habe.  
Siq; tibi studium saltem laudabitur istud,  
Spes animum reliquis posse placere subit.  
Forſitan



Forsitan exigua est in carmine gratia nostro.  
 Et minus urbani Musa lepōris habet.  
 Et ueniet cupido lectori parua uoluptas,  
 Dulcia qui tantum scripta legenda putat.  
 Heu mihi si multis etiam fastidia surgent,  
 Quod uideant tenui carmina facta stylo,  
 Ergo mei studium damnabitur omne laboris?  
 Irritaq; est operæ cura futura mee?  
 Polliceor meliora mihi: quia tædia quanquam  
 Ex isto multi carmine multa ferent.  
 Spero tamen paucos saltem, quibus ista probetur  
 Musa, fore: et paucis me placuisse, sat est.  
 Nil opus hoc, lautas bene quod demulceat aures,  
 Quodq; animi curas pellere possit, habet.  
 Non tamen omnino, nisi me sententia fallit,  
 Vtilitas nostri nulla laboris erit.  
 Pinximus a grestes agresti carmine mores,  
 Propositos oculis grex studiose tuis.  
 Vidimus à multis fieri, quæ scripsimus, ipsi:  
 Multa notata alio sunt referente mihi.  
 Multa etiam (quid enim pudeat me uera fateri?)  
 Ipse mea admisi rustica facta manu.  
 Nec nisi, cuius erat nobis bene cognitus usus,  
 Scripsimus hîc ullum simplicitatis opus.  
 Qui leget hæc (si quis tamen esse legenda putabit)  
 Quisquis erit, fructus non feret inde nihil.  
 Inueniet saltem dictum factumue uel unum,  
 Depictos mores quo putet esse suos.

Cumq;

CONCLUSIO.

Cumq; leget, tacito morſu ſua facta notare  
 Rustica, quæ ſolitus facta patrare fuit:  
 Protinus ingenuas maculabit purpura malas,  
 Is color in tacita fronte pudoris erit.  
 Neu ſit opus ſimili poſt illa rubere culpa,  
 Inſtituet uitam cautiꝯ ille ſuam.  
 Et quia ridenti nos hic perſtrinximus ore,  
 Quæ ſunt iudicio ruſtica uifa meo:  
 Certè aliquis nobis iſt o pro carmine grates  
 (Quod puto ſedulitas noſtra meretur) ageſt  
 Qui tamen iſta mihi ſcribendi cauſa fuiſti,  
 Cuius & auſpicio coepimus illud opus:  
 Tu populi Bingi eant abere plurimus ore,  
 Et tua qui taceat nomina nullus erit.  
 Pro ſe quiſque uolet meritas tibi dicere grates,  
 Cùm ſciet hoc carmen muneris eſſe tui,  
 Et meritò ſeret acceptum tibi, ſi quid in illo,  
 Quod ſibi proficuum iudicet ullus erit.  
 Nanq; ubi ieiunos dubitabam emittere uerſus,  
 Euderat incompto quos mea Muſa ſtylo,  
 Auribus indignos doctis quos eſſe uidebam,  
 Quòd male & inuito facti Helicone forent:  
 Bingus hortator ueniens, audere timentem  
 Iuſſit, & ingratum ponere corde metum.  
 Emiſſumq; domo tandem uulgare poëma,  
 Quod queat à multis non ſine fruge legi.  
 Illius hortatus ego iudiciumq; ſequutus,  
 Hoc patior uulgi carmen adire manus.

Has igitur quisquam uita de simplice nugas  
 Si leget, & senium si liber iste feret:  
 Bingius eternum quoque nomen habebit in illo,  
 Nullaq; posteritas immemor eius erit.  
 Illius hoc uirtus bonitasq; innata meretur,  
 Inclyta ne domino fama cadente cadat.  
 Nam bonus Aonias humana fronte sorores  
 Respicit, & sacrum diligit ille chorum.  
 Castraq; Pieridum iuuenes Phœbiq; secutos  
 Promouet, & promptam fert miseratus opem.  
 Heu mihi quàm paucos sacri qui numina montis  
 Castalidas, curent secula nostra uident.  
 Quisque alijs animum mauult intendere rebus,  
 Et studium quauis ponere in arte suum.  
 Diuitias quærunt, quamuis rex Lydius olim  
 Incolumi regno stante superbus erat.  
 Propositus toti scopus est ditescere uitæ,  
 Quærereq; immensus quas habet orbis opes.  
 Sæpius ergo ruunt acti per fasq; nefasq;  
 Quò furor & Pluti dira cupido uocat.  
 Interea diuæ, quæ sacrum Heliconæ frequentat,  
 Heu dolor indecores & sine honore iacent.  
 Tu tamen has Bingi spretas sine honore iacere  
 Non sinis, & nulla non pietate leuas.  
 Prosequeris doctos, quia doctus es ipse, fauore,  
 Et quacunq; potes parte iuuare iuuas.  
 Perge bonis semper, quod agis, perge esse beni-  
 Et studia auxilio profer honesta tuo. (gnus,  
 Hinc

CONCLUSIO.

Hinc tua uenturo pietas celebrabitur æuo,  
Nominis ex perpes fama futura tui est.  
Vix alias melius decus immortale per artes  
Obtineas, nec laus plenior ulla uenit.  
Quàm pia doctorum si sit tibi cura uirorum,  
Hactenus illorum ceu tibi cura fuit.  
Viue diu nobis, nostriq; exile laboris  
Hoc studium uultu conueniente cape.  
Si fuerit nostris conatibus æquus Apollo,  
Plura feres, sed te carmina digna. Vale.

FINIS.

FRANCOFORTI, Apud Hæred. Chr.  
Egenolphi, Anno M. D. LVIII.






46  $\frac{5}{4,5}$

AB 46  $\frac{5}{4,5}$

X2199808





GR

M

SIMP  
In gr

FRID

lam

IRO

Ethica

Cec

Conce

Et

Hic li

Eg

Hunc

Q

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

